DE

PRODUCTIONE SYLLABARUM

SUPPLETORIA LINGUAE LATINAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

ORDINE PHILOSOPHORUM LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

CAROLUS EDMUNDUS GOETZE

DRESDENSIS.

LIPSIAE

TYPIS MELZERI.

MDCCCLXVIII.

§. 1.

Multis in vocibus Graecis et Latinis duarum consonarum alterutram eiectam esse, ita ut vocalis antecedens produceretur, iam dudum pervulgatum erat. Quam affectionem primus, quoad sciam, Albertus Agathon Benaryus (Röm. Lautlehre Berlin 1837 p. 235) accuratius sic definivit: „Es tritt Wegfall (der Aspirata vor tönenden Buchstaben und Nasalen) ein mit oder ohne Ersatz der Positionslänge durch Naturlänge", quae definitio ex eo tempore in grammaticas ad usum scholarum conscriptas recepta est. Ad Graecam autem grammaticam eam rem applicavit Henricus Ludolfus Ahrensius in libello, qui inscribitur: Ueber die Conjugation auf μι Nordhausen 1838 p. 34. addito nomine: Ersatz-Verlängerung (productio suppletoria).

In permultis quidem libris exempla sunt collecta, sed tamen cum in caussas atque rationes eius rei nondum inquisitum esset, ad vocabula eiusmodi congreganda atque illustranda, eorum quae viri clarissimi exposuerunt respectu diligenter habito, conferre quantum ego valerem constitui. In iis autem quae pertractavi ita sum versatus, ut si quid me novi attulisse crederem, de his disputarem paullo latius, paucis verbis attingerem quae ab aliis iam antea essent recte constituta. In his praeter ceteros duo viri, quorum libri fere semper ad manus mihi esse debebant, commemorandi sunt: primum praeceptor summe venerandus Georgius Curtius, cuius elementa etymologiae Graecae hoc quoque in genere uberrimam exemplorum e linguis cognatis haustorum copiam mihi praebuerunt, deinde

Guilelmus Corssenus, cuius tres libri ad grammaticam Latinam spectantes, etiamsi in nonnullis cum viro doctissimo dissentio, plurimum tamen fructus disputationi meae exhibuerunt. Insignes vero gratias Corsseno propterea debeo, quod petenti mihi eam libri sui de pronuntiatione linguae Latinae partem, quae iterum typis expressa, nondum in lucem prodiit, inspiciendam concessit.

§. 2.

Vetustissima monumenta, e quibus priscas verborum formas atque mutationes cognoscamus, in collectionibus exstant veterum inscriptionum, quae cum magna ex parte eo tempore ortae sint, e quo librorum reliquiae ad nostram usque aetatem non pervenerunt, multa servaverunt antiquioris linguae vestigia quae nullo alio loco leguntur.

Sequuntur scriptores priscae latinitatis, comici in primis poetae, qui vocabula vocabulorumque formas quam artissime ad quotidianum usum qualis tunc erat accommodare solebant.

Deinde summo cum studio antiquiorem sermonem imitatus est Vergilius, in cuius poëmatis tanquam fundamento nituntur sequentium saeculorum studia antiquitatis et ad quem tractandum magnopere nos adiuvat codicum Vergilianeorum praestantia.

Tum non neglegendi sunt commentarii grammaticorum, qui e fontibus hauserunt per temporum iniquitates nunc perditis.

Summi denique momenti est comparatio cognatarum linguarum, e quibus de origine formarum Latinarum certissimas plerumque licet coniecturas facere.

Quibus adminiculis quae diiudicari non poterant incerta relinquere, quam vagis uti hariolationibus malui.

Haec fuerunt de adiumentis quibus usi essemus in tota hac disputatione quae dicerem.

§. 3.

Qui diversas formas perlustraverit quae in manu scriptis et inscriptionibus reperiuntur, facile intelleget Romanos quamvis in efferendis vocabulis suam fere unicuique elemento vim tribuere solerent, earum tamen consonarum, quae coniunctae nimiam quandam pronuntiandi difficultatem praebere videbantur, haud raro vitasse concursum. Quod factum est duabus potissimum rationibus. Consonae scilicet propter alias consonas vel subsequentes vel praecedentes aut immutantur, aut prorsus extruduntur. Quod facilitatis studium cum initio volgarem dicendi consuetudinem occupasset, etiam eruditioribus ita pedetentim probatum est, ut denique in litterarum usum transferretur. Quamquam haec commoditatis et facilitatis ratio non prorsus planeque obtinuit. Cum enim per ipsas illas assimilationes et eiectiones facillime accidere posset, ut verborum origo et propria significatio obliteraretur, saepenumero perspicuitati ita consulere studebant, ut origine potius formarum respecta elegantiam atque euphoniam neglegerent. Intactas igitur, ut pauca afferam exempla, reliquerunt praepositionum litteras finales ante verba ab eiusmodi consonis incipientia quae in ceteris verbis cum illis non coniungerentur: *submittere* non *summittere*. Item non raro easdem consonarum coniunctiones diverso modo commutaverunt: ex **săls* [1]) fecerunt *sāl*, contra ex **vils* non **vil*, sed ad exprimendam alterius personae notam *vis*.

Ergo videmus in his affectionibus nullo pacto unam et eandem valuisse normam, sed diversas in commutandis verbis vias et rationes initas esse.

§. 4.

Duarum consonarum, quae in mediis vocabulis antiquitus concurrerant, nunquam posterior, sed prior tan-

1) Corsseni aliorumque hominum doctorum auctoritatem secutus formis non usitatis asteriscum *praeposui.

tum eiicitur. In fine vero vocabulorum alterutra potest omitti.

Iam si in longe plurimis exemplis pro vocali olim brevi extitit longa vocalis post consonae eiectionem, propter consonae eiectionem brevem vocalem esse productam facile licet coniectare. Cum igitur supplendi quasi et compensandi gratia vocalis producatur, non iniuria productionem suppletoriam eam affectionem viri docti appellaverunt.

Considerabimus autem, quae sint illae consonae, quarum ea vis est, ut alias appositas eiiciant, vel quibus condicionibus illae eam vim maxime possint exercere. Sed quoniam, ut supra demonstravimus, illae affectiones paullatim temporis demum decursu oriuntur, in singulis vocibus tractandis temporum ratione habita — id quod in omnibus quaestionibus grammaticis diligentissime observandum est — formas recentiores ab antiquioribus quantum fieri poterit disiungamus, quo qui fuerint inter utrumque formarum genus transitus atque mutationes accuratius dignoscamus.

Incipiatur quaestio a labialibus, quae in paucis vocibus Latinis interierunt ante consonas.

§. 5.

P labialis in uno verbo *amentum* omissa productionem effecit, quae in reliquis saltem non constat; nam *ămes* (Gestell zum Anfügen und Aufhängen von Vogelnetzen) pro **apmes* correptam vocalem post labialem eiectam ostendit. Quapropter verbi *rumentum*, quod cohaeret cum rad. *rup* (*rumpere*)[2]) priorem syllabam pro producta haberi non necesse est.

Amentum autem pluribus poëtarum locis, qui in quolibet lexico exhibentur, confirmatur stirpis syllabam habere longam. Suffixo *mentum* absciso restat *a* vocalis quae sola stirps esse non potest. Consonam igitur interiisse nemo negabit. Sed quae sit ea consona, inter viros doctos adhuc

---

2) Cf. Fest. p. 271, 7 M.: rumentum abruptio.

dissensio est. Alii enim in verbo *ago* stirpem contineri censent, **agmentum* scilicet esse originariam formam rati. At haec sententia non est probanda; quamvis enim *contamen* eodem modo factum sit ex **contagmen*, *frumentum* ex **frugmentum*, tamen notio plane abhorret a rad. *ag*. Hanc enim vocis significationem esse Fest. p. 12. docet: amenta, quibus, ut mitti possint, vinciuntur iacula, sive solearum lora. Atque in priorem quidem notionem etsi satis bene quadrat rad. *ag*, parum tamen explicatur quo pacto ex eadem radice nasci potuerit lororum significatio. Cum res ita se habeat, cumque in Mediceo Vergili codice Aen. II, 665 [3]) et in glossariis Labbaei (ut Muellerus ad illum Festi locum adnotat) scriptum sit *ammenta*, *ammentum* cum geminatione litterae *m*, quae ex *gm* rarissime evadit [4]), aliam explicationem quaeramus.

Quod Festus l. l. dicit, *amentum* a Graeco *ἅμμα* ortum esse recte intellexit hoc de quo agitur vocabulum natum esse e rad. *ap*, quae inest in *ἅμμα*, *ăpiscor* (cfr. Scr. *âp* adipisci, adire, suscipere). Originaria igitur forma erat **apmentum*, posteaquam assimilato *p* subsequenti consonae *m* factum est *ammentum*, postremo altera *m* littera elisa *āmentum*.

Quod ab aliis hoc in numero collocatur exemplum *omentum*, id cum *ὀπός* (quod statuit Georges) propterea cohaerere non potest, quia verbum *ὀπός* Graecum est, cuius loco cum Romani *sucus* dicebant, retinuerunt radicis *sak* litteram sibilantem et gutturalem.

§. 6.

Media labialis *b* praepositionis *ab* ante consonas semper fere interire solet, postea vero vocalis *a* producitur. Qua de re delegare sufficit ad ea quae accuratissime et copio-

3) Etsi O. Ribbeckius de hoc loco nihil affert, non tamen est dubitandum, quin verum adnotaverit Wagnerus. Nam R. ipse dicit (proleg. crit. in Verg. p. 220.) integrum codicem conferre sibi non licuisse.

4) Unum scio exemplum: *flamma* ex **flagma*.

sissime disputavit Corssenus in libro de pronunt.[2] p. 153 sq. Quibus lectitatis spero fore ut B. Delbrueckius quoque non iam impugnet, *ab* idem esse atque *ā*. (Cfr. eius libellum quem inscripsit: Ablativ, Locativ, Instrumentalis im Altind. Latein. Griech. und Deutsch. p. 22.)

Iam transgrediamur ad dentales.

§. 7.

T ante *m*, quae consonae coniunctae in permultis Graecis vocibus pronuntiantur, nullo in Latino vocabulo invenitur. Olim autem coniunctas fuisse suspicandum est in *remus*, quocum cohaerent Gr. *ἐρετμός* et Scr. *aritram* Schiff, Ruder. Cum in columna rostrata C. Duilii cos. (C. I. Lat. I, 195, 12) *triresmos* scriptum sit, *resmus* fortasse ex **retmus* factum est. (Cf. §. 24.)

In his numeralibus distributivis:

viceni, *triceni* usque ad *nonageni* (pro **vicentni tricentni* cet.) *t* simul cum nasali praecedenti ante *n* eiectum est. Illae autem consonae etiamnunc coniunctae exstant in cardinalibus *vig**in**ti*, *trig**in**ta* similiter ceteris. De origine suffixorum *ginti* vel *ginta* e **decenti* (*decem*) Corssenus ita disseruit (symb. crit. p. 508 sq. additam. p. 96 sq.) ut nihil sit adiiciendum.

Similiter

duceni, *treceni* usque ad *nongeni* nata sunt ex **ducent-ni*, *trecent-ni*. Eas autem formas, e quibus per syncopam illas factas esse Priscianus de figuris numerorum in libro 24. censet: dico *ducenteni*, *trecenteni* recte Corssenus suffixi *eni* opera ad similitudinem numerorum illorum (*duceni*, *treceni*) fictas esse iudicat.

Hic statim adiungam vocabulum

scala, in quo ipso dentalis cum nasali omittitur ante consonam subsequentem. Dudum enim recte ea vox componitur cum verbo *scando* (Scr. *skand*). Prorsus autem aliter res se habet in substantivo *mala*, quod perperam natum esse existimant e rad. *mand*. (Cf. §. 28.)

§. 8.

Pergimus ad eas voces, in quibus littera *d* cum *c* convenire debebat, id quod saepissime fit in vocabulis cum praepositione *ad* compositis. Sed ubique ante *c* litteram assimilatur dentalis, ut fiat *ac* auctore Velio Longo, qui haec dicit (p. 2225, 11 Putsch.): „Si sonus consulitur, interest aurium, ut *c* potius quam *d* scribatur" atque Prisciano (II, 6. 7. H.): „in *d* nulla potest syllaba desinere praepositiva nisi sequens quoque ab eadem incipiat — haec ipsa consonans in *ad* praepositione mutatur sequente *c*." Quamquam in uno quod sciam verbo servata est littera *d*, *idcirco* dico.[5]) Sed duobus in vocabulis eiicitur *d* ante gutturalem.

Primum in *quocirca* pro **quodcirca*, quam particulam in inscriptione (vid. leg. repet. l. 13. = C. I. Lat. I, 198) disiunctam duobus vocabulis videmus (*quod circa*) ac priorem quidem vocem *quod* Corssenus (de pronunt.[2] p. 197. not.) iure accusativum esse existimat (*quŏd*), non ablativum (*quōd*), quem propterea Buechelerus (declin. Lat. p. 48) probat, quod alio in monumento (l. Iulia munic. l. 118. = C. I. Lat. I, 206) non *quocirca*, sed *quo circa* scriptum est, quae forma *quo* pro solo ablativo usurpari solita est. Sed cum praepositio *circa* nusquam cum ablativo, semper cum accusativo coniungatur, qui casus etiamsi praepositio postponitur, ubique remaneat, ut in omnibus praepositionibus quae postponuntur — particulae enim *ante* et *post* subiectae adverbia fiunt — cumque in *idcirco* pronomen *id* sine dubio sit accusativus, negare non audeam, relativum in *quocirca* esse accusativum. — Accedit quod etiam particula *quapropter* quam quantum equidem sciam, nemo adhuc pro praepositione *propter* coniuncta cum ablativo habuerat, per tmesin scribitur apud Terentium Hecyr. III, 3, 4 (364 Fleckeis.):

---

5) Scriptura *iccirco* ut in inscriptionibus nunquam invenitur, ita in codicibus admodum dubiae fidei est, e. g. in Mediceo Verg. *idcirco* legitur, non *iccirco* tribus illis, quibus apud Vergilium exstat, locis.

Qua me propter exanimatum citius eduxi foras,
quem locum compares cum scriptura illa (*quo circa*) legis Iuliae.

Deinde neutrum pronominis demonstrativi *hoc* factum est ex **hod-ce.* Longa autem vocalis mensura orta est ex elisione consonae *d.*

§. 9.

Tum hoc loco praefixi *red* mentionem interpono.

In inscriptionibus et veterrimis codicibus geminata *l* scripta invenimus

relliquiae et *relligio* et *rellatum* (l. agraria C. I. Lat. I, 200, 80; Lucret. II, 1001).

Atque Corssenus quidem (de pronunt.[2] p. 227.) negavit in verbis *relliquiae* et *relligio* priorem liquidam esse assimilatione confectam, quod nusquam verba cognata cum duabus *l* litteris scripta reperiantur[6]); in illis igitur ambobus additam esse *l* ad syllabam corroborandam ut in *quaerella, oquella, paullatim* cet.

Cui opinioni complura obstare videntur. Cognovimus enim *rĕd* formam esse principalem praefixi, cuius origo quidem nondum satis liquet. Sin vero littera *d,* quam ante vocales servatam (*redamo, redeo, redigo, redimo*) videmus, ante consonas extrusa appareat, non statim nobis est dicendum, aliam formam esse quae verbis a consonis incipientibus praeposita sit. Hoc potius quaerimus, utrum omnino dentalis littera remanere potuerit an non?

Atque vocabula exstant, quae aut geminatam consonam habent post syllabam *re* v. c. *reccidere* (Ov. Met. VI, 212; Lucret. I, 857. 1063 V, 280), *recceptus* (Lucil. V, 4), *reddo, redducere* (Lucret. I, 228. IV, 990 al.), *remmota* (Lucret.), aut longam vocalem, quamquam praefixi *red* vocalis brevis est, cf. *recidere* (Ov. Met. X, 18. 180), *rēdux* in duobus Plauti locis.[7])

---

6) Habemus tamen apud Lucil. XXX, 29 *rellicta: et sua perciperet retro rellicta iacere.*

7) Quamquam Fleckeisenus quoque (epist. crit. ad Ritsch. p. XI.) secundum reliquorum locorum analogiam vocalem *e* brevem esse arbitratus, librorum scripturam partim commutavit.

Sed quod ad hanc caussam pertinet, compluribus in verbis, ubi conveniunt *dl* assimilationem statuamus necesse est. Nam in compositis ab *l* littera incipientibus cum praepositione *ad* semper *d* assimilatur subiectae *l;* porro idem factum est in *sella* pro **sedla*, pro **nited(u)la nitella* vel *nitela* (Lachm. ad Lucret. p. 204).

Itaque cum *dl* nusquam coniunctae serventur, quid est magis consentaneum, quam ut assimilationem etiam in *relligio*, *relliquiae*, *rellatum* accipiamus? At vero „verba *relinquo*, *reliqui*, *religare*, quae sunt similia, nullo in loco duplicata *l* littera sunt.“ Verum id quidem, quamquam unam modo commemoravimus exceptionem *rellicta* notā 6., sed et saepe vidimus et postea videbimus, multa exempla pro litteris geminatis ex assimilatione ortis simplicem habere consonam: quid mirum quod in his vestigia tantum non omnia eiectae *d* litterae deleta sunt!

Sed ut, quae sit de praefixo *red* sententia mea, breviter adumbrem: equidem vix dubitandum esse arbitror, quin a principio nulla alia forma extiterit quam *red*, cuius *d* littera finalis aut assimilaretur *l* subsequenti aut producta vocali praecedenti interiret. Quam productionem nonnullis poetarum locis (cf. Lucret. I, 560: *nunquam rēlicuo* —; VI, 1274: *nec iam rēligio divom* —) servatam videmus, plerumque vel haec omissa est.

Nusquam autem, ut breviter hoc admoneam, extincta est productio suppletoria in *rēiecto*, *rēiectus*, quae sunt cognata.

§. 10.

Ante *n* litteram *d* eiectam esse videmus in his vocabulis:

finis dicitur pro **fidnis*, si quidem recte, quod ego nullo modo dubito, Corssenus eam vocem cum radice Scr. *bhid*, scheiden, spalten, comparat, qua ex radice facillime explicantur notiones Scheide, Grenze, postea Ende.

funis natum esse Grassmannus (Kuhnii annall. XII [1863] p. 120.) existimat ex **fudnis*, cuius stirps respondet Scr.

bandh ligo, flecto. Quae originatio quia neque a litterarum ratione abhorret, et cum verbi significatione optime congruit (cf. *πεῖσμα* quod ex eadem esse ortum radice nemo dubitabit) non video cur alias circumspiciamus explicationes.

Ex his quae modo perlustravimus exemplis apparet, non necessario ex *dn* assimilatione fieri *nn* ut in *mercennarius* (quam scripturam optimis codicibus stabilitam esse Fleckeisenus tituli L p. 19 sq. perspicue docuit). Qua in re etsi codicum auctoritatem esse sequendam libenter concedimus, per se tamen non falsam fuisse alteram scripturam **mercenarius*, ex multis eis verbis intellegitur, in quibus et geminata littera scribitur et simplex v. c. *prossus* et *prosus*.

§. 11.

D eiecta ante sibilantem et ante *t*.

Multis quidem in bonis manu scriptis has formas: *adsentire, adsiduus, adsurgere, adsum* scriptas invenimus, ostendit tamen Plauti quae vulgatur annominatio (Poen. I, 2, 67):

Mi. *adsum apud te eccum* ‖ Ag. *ego elixus sis volo*

iam antiquiore tempore Romanos *assum* pronuntiasse pro *adsum*. Sed in his ipsis quae enumeravi compositis perspicuitas magis, quam pronuntiandi commoditas curata est.

Alia est ratio in verborum formatione, si suffixa a dentali *t* incipientia cum stirpibus quae in dentalem desinunt, coeunt et in coniugatione, ubi ad easdem stirpes terminationes *si* ac *tum* accedunt. *D* ante *s* aut assimilatur sibilanti aut productione suppletoria evanescit. Suffixum *tus* in duabus formis manifesto servatum est a Paulo Festi epitomatore traditis, qui p. 6: *adgretus*, inquit, apud Ennium „*adgretus fari*“ pro eo quod est adgressus ponitur, et p. 78: „*egretus* et *adgretus* ex Graeco sunt ducta cet.“ Atque hoc *egretus* sine dubio pro *egressus* dictum est. In his duobus exemplis (quorum primariam formam fuisse **adgred-tus*, **egred-tus* inter omnes nunc constat) *d* ante *t* eiicitur, media fortasse forma ** adgrettus* interposita (cfr. quae infra exponemus, et Corsseni symb. crit. p. 417) non quod

saepissime fit *d* tenuatur in *s*, ut in *manifestus*, *infestus* pro **manifed-tus*, **infedtus* a rad. *fend* (cf. elem. etym. n. 311).

Sed sunt alia vocabula, eaque longe plurima, in quibus ne *st* quidem intactum relinquitur, sed aut *t* assimilatur praecedenti sibilanti v. c. **egred-tus *egrestus egressus*, **fod-tum *fos-tum fossum*, aut sibilans ita extruditur ut oriatur productio vocalis, velut ex **cad-ta*, **cassa*, *cāsa*.

Nonnunquam autem eiusdem vocabuli duae manserunt formae, altera assimilatione, altera sibilantis eiectione effecta; sed ubique formam assimilatam videmus antiquiorem fuisse.

Quo ex genere haec affero exempla:

(*divido*) perf. **divid-si divissi divīsi*
sup. **divid-tum *divistum divissum divīsum*
**divid-tio *divis-tio divissio*[8] *divīsio*
(*cado*) sup. **cad-tum cassum*[9] *cāsum*
(*edo*) sup. **ed-tum es-tum*[10] *essum ēsum*.

casa originem duxit e rad. *kad* quae eadem inest in voce *cas-trum* quaeque ipsa descendit e primaria rad. *skâ* (σκιά) cf. Corsseni symb. crit. p. 448 sq.

ōsor pro *ŏd-tor* (vetus verbum *odio* quod in Prisciani qui dicitur libro de accentibus 44 enotatur, brevem vocalem habuisse ex *ŏdium* scimus) formam autem geminata *s* (*ossorem*) apud Plautum adhuc Asin. V, 2, 9 (859 Fleckeis.) reperimus.

Exemplum in quo primum littera *d* assimiletur sequenti *t*, deinde evanescat cum productione suppletoria praeter ea quae ex Festi excerptis citavi commemoro

futtilis (pro **fud-tilis*) pro qua scriptura, Plautinis codicibus confirmata (cf. Fleckeiseni epist. crit. ad Frid. Ritschelium p. X.)[11], apud eos scriptores qui posteriore aetate vixerunt legimus *futilis*. Quae ipsa forma cum secun-

---

8) Quint. inst. orat. I, 7, 20.

9) Marius Victor. p. 2456. Putsch.

10) Prisc. X. 30 H.: supinum tam '*esum*' quam '*estum*' usus exigit ut possit dici.

11) Alia testimonia collegit Klotzius Terent. Andria p. 125.

dum ea quae modo disputavimus iusta legitimaque norma ficta sit, nihil est cur recedamus a librorum auctoritate; nam *refutare*, quod descendit ab eadem radice, semper in codicibus scribitur cum simplici *t*.

Vidimus igitur quinque existere formas e coniunctione litterarum *dt* [12]):

aut *st* (*manifestus*), *ss* (*cassus*), *s* cum prod. suppl. (*cāsus*);

aut *tt* (*futtilis*), *t* cum prod. suppl. (*refūtare*).

§. 12.

R littera non est eiecta ante *d* nisi in

pedere quod pro **perdere* dicitur; nam cum Graeco *πέρδω*, Scr. *pard* tam bene consentit, ut vix ab eis disiungi possit, et in substantivo *podex* (ex **pordex*) quod ad eandem radicem spectat. Vocalis *e* etiam in Graeco *πορδή* in *o* abiit.

In his duabus vocibus tantum ante *d* *r* omissum est, quod cum omnes aliae linguae servaverint atque vocalem brevem reliquerint nihil obstat, quominus productionem *r* extrusae deberi ponamus.

Ante *t* autem uno in verbo *r* interiit: in

sempiternus pro **sempertermus*, neque exstat compensationis caussa productio, id quod in aliis quoque vocibus videmus, ubi bisyllabum suffixum adiectum est v. c. in *corpulentus* pro **corpuslentus*. Vocalis autem, quae remansit intacta videtur esse quasi quae coniungendi vim habeat. Qua in re etiam accentus quaedam potentia agnoscitur; nam cum et paenultima acueretur et prior prioris verbi syllaba, antepaenultima facilius poterat immutari et in exiliorem sonum abire.

§. 13.

Alia est *r* litterae ratio, quae in una voce Latina ante *i* consonam sonum tam tenuem accepit, ut omitteretur.

---

12) Grassmannus in Kuhnii annal. XII [1863] p. 88. quattuor tantummodo genera discernit.

Id enim factum est in

peierare, cuius verbi omnes, quomodo paullatim factae sint, mutationes in manu scriptis traditas H. Usenerus in Fleckeiseni annal. XCI [1865] p. 226. tanta cura et diligentia collegit, quanta adhuc desideratur in permultis eiusmodi vocabulis.

Antiquissimam autem formam, quae in veterrimis Plauti codicibus superest, *periurare* fuisse, nos docet etymologia; est enim compositum ex praepositione *per* (cf. Gr. *παρά*) cum verbo iurandi. Litteras igitur non mutatas ante oculos habemus, sicut in substantivo *periurium*, ubi Romanos nunquam *r* litteram ita emollivisse videmus, ut eiecerint. Postea autem ex *periurare* factum est *perierare*, quam formam extitisse suspicatus quidem est C. L. Schneiderus (elem. I, 573) his tantum verbis in libro de orthographia exhibitis adductus, cui Bedae nomen impositum est (p. 2343. 4. Putsch.): „Periurus qui male iurat: peiero vero verbum r non debet habere, est enim quasi peius iuro" (refutat igitur auctor formam, quod partem compositi priorem parum intellegit; immo vero ignorat voces *periurus* et *peiero* non esse seiungenda), at nunc multis bonorum codicum testimoniis ab Usenero enumeratis [13]), id certe patescit, *periero* dictum fuisse. Sed in volgari usu erat *peiero*, in qua *r* littera non iam exstat, ut etiam in *peiuri* (Aen. II, 195 Medic. prima manu) quod vocalem *u* intactam ostendit.

§. 14.

Sunt multa vocabula in quibus *r* ante *s* elisa est. Quamquam hoc ex numero, cum in longe plurimis iam antea propter contractionem quandam vocalis fuerit longa [14]) unum huc pertinet: singularis illa vox quae legitur apud Pacuvium

---

13) Ad quae accedit apud Minucium Felicem (ed. Halm. 1867) 30, 20: *perierante*.

14) V. c. *prōrsa* ex **proversa*, *rūrsus* ex **revorsus* al.

unose (cf. Nonium p. 183, 20). Ex **univorse* factum est **unvorse* (cf. in senatus consulto de Bacchanalibus *oinvorsei* i. e. *universi*), deinde **unorse* (quemadmodum Lachmannus et Bernaysius Lucr. IV. 260 *unorsum* scribunt, ubi necessario trisyllabum est illud verbum), tum **unosse* (cf. *prossum*, *introssum*, pro *prorsum introrsum*), denique *unose.*[15])

Iam accedimus ad nasalem litteram *n*, quam Latini ante consonas *h*, *j*, *v* nusquam eiecerunt, nisi in praepositione *con.*

§. 15.

Quamvis enim in compositis *cohibere*, *cohortari* al. *n* littera non remaneat, servabant illam in omne tempus verba cum praepositione *in* composita, cf. *inhibere*, *inhonestus*, *inhumanus* al., quae quidem omnia primo obtutu certis finibus contineri non posse videntur, sed videntur tantum; cum enim nasalis *in* praepositionis ab initio exstet, *con* praepositio facta est ex *cum*, quod antiquius fuisse nemo negabit; labialis igitur sonus ante *h*-spirantem gutturalem non potuit pronuntiari quapropter transformata est in *n* gutturale, quod *n* adulterinum ut grammatici dicunt comparandum est est cum Sanscr. ṅ. Quod gutturale n postquam mutari coeptum est, maiore erat exilitate, quam *n* primitivum, quod mutatione nunquam affectum etiam ante *h* manet, quasi vetustate duratum cf. *anhelare*, cuius praefixum Curtius sine dubio recte (elem. etym. p. 275) composuit cum Gr. *ἀνά*.

Et eadem de caussa in vocibus, in quibus praecedit praepositio *con* semivocalibus *j* et *v* nasalem non servatam puto, servatam autem esse, praepositione *in* praecedente.

---

15) Haec scripseram cum vidi Lachmannum eandem verbi *unose* originem descripsisse (ad Lucret. p. 230). Quod vero arbitratus est, iam in *unorse* et *deorsum* o vocalem longam fuisse ut in vocabulo *prorsum* opinio fefellit virum doctissimum. Longe enim alia est ratio *unorse*, *deorsum*, alia vocabuli *prorsum*, quod contractione ortum est ex **provorsum.*

Corssenus quidem (de pronunt.[2] p. 250) commemorat etiam praepositionis *in* finalem litteram eiectam esse ante semivocales, quamquam exemplum neque ipse affert, neque ego inveni; nam *iventa* pro *inventa* in ed. Diocl. nullius momenti est, quod et posteriore tempore, anno 301. post Chr. n. est scriptum et permultis scribendi vitiis inquinatum.

Quod spectat ad praepositionem *con* ante *j* Lachmannus ad Lucret. II, 1061 (p. 136) collegit

coiicere, confirmatum cum testimoniis grammaticorum, tum veterrimis codicibus, pro *coniicere*, quod ipsum in quibusdam locis invenitur;

coiectura in vetustissimo Frontonis (p. 290) manu scripto. Deinde in sepulcrorum inscriptionibus habemus

coiux, *coiugi* pro *coniux*, *coniugi*.

Hinc facile colligi potest, quomodo factum sit

cuncti, quod Klotzius (Iahni annall. XL [1844] p. 18) recte ex *coniuncti* exortum fuisse censet. Eiecta enim nasali ante *j* extitit haec forma: *coiuncti*. Postea consonam *j* inter duas vocales positam omitti potuisse docemur comparatis verbis *biga* pro **biiuga*, *quadriga* pro **quadriiuga*.

Quam rationem etiam Corssenus (additam. crit. p. 297 sq.) defendit. Sed Fleckeisenus (titul. L. p. 14) illam sententiam impugnavit, qui ex analogia vocis *bucina* ex **bovicina* contractum esse existimavit *cuncti* ex **covincti* (cf. Curtius elem. etym. p. 638. not.). Elementa quidem revera non obstant, sed propter significationem assentiri nequeo, quoniam vinciendi verbi vis ac potestas est parum affinis verbo *cuncti* cf. Cic. Fam. 10, 21: a cuncto populo; id. Phil. 2, 9: in tanta laetitia cunctae civitatis. Huc accedit quod iam Festus (p. 50,15 Muell.) rectam explicationem suasit: „*Cuncti* significat quidem omnes, sed *coniuncti* et congregati“ atque Servius ad Aen. I, 522: „*Cuncti* non idem significat quod *omnes*. Cicero saepe ait cuncti atque omnes: quia omnes non statim sunt *cuncti, nisi iidem simul sint iuncti.*“

§. 16.

Denique haec duo exempla in vetustissimis monumentis prolata ostendunt, *n* evanuisse ante *v*:

in coventionid (in senatus consulto de Bacchan. l. 22) et *in covenumis* (C. I. Lat. I, 532).

Neque alia in Umbrica lingua horum compositorum est ratio, cf. *kuveitu* = convehito, *kuvertu* = convertito (AK, monum. Umb. I, 92).

Attamen quae norma in his est observata, non potuit in verbo *nolo* valere, neque cum Corsseno consentio, qui (de pronunt.[2] p. 316) notavit, *nolo* factum esse ex **no[n]volo*. Nam comparato verbo *ne-scio* primitivam formam **ne-volo* esse perspicimus, in qua fortasse, quemadmodum **se-luo*, **se-cors* abierunt in *solvo*, *socors*, eodem modo prioris syllabae vocalis sic affecta est, ut **novolo* fieret.

§. 17.

Sequitur ut de iis vocibus quaeratur, in quibus litteras *nl* coniunctas olim fuisse constat. E quibus ad hanc disputationem unum pertinet *ilico* quod factum est ex *in loco*. Cuius prope eadem ratio mihi videtur esse, quam supra (§. 10) in voce *mercennarius* statui, praeterquam quod scriptura tradita diversa est. Nam ut de hoc verbo erat iudicandum, rectam quidem esse scripturam cum *nn* duabus litteris propterea quod illam optimi codices praeberent, sed non quod natum esset ex **mercednarius*, ita etiam hic est dicendum, cum nunquam hoc de quo modo disputamus verbum scriptum inveniatur geminata *l* [16]), non licere alia scriptura uti, nisi *ilico*; nihilo vero minus mediam quandam intercedere potuisse formam *illico* inter *in loco* et *ilico*. || Ad quam sententiam confirmandam adhibere possum, quod deminutiva, quae desinunt in *olla*: *corolla* ex **coron(u)la*, *persolla* ex **perso(u)la*, exorta sunt per assimilationem (cf.

---

16) Quo iure Ian apud Plin. N. H. XIII, 20 scripserit *illico* nescio, praesertim cum Detlefsen restituerit *ilico*, alterius scripturae testimonio non allato.

Ludov. Schwabei librum de deminutivis Gr. et Lat. p. 38) et quod in poetarum scenicorum lingua *en illum* vel *en illam* contrahuntur in *ellum*, *ellam*. Quod vero forsitan quispiam obiecerit, in verbo *ellum* geminatam esse liquidam propterea quod iam in verbo *illum* insit, hoc nulli est offensioni; ex iambica enim mensura verbi *illum* e. g. Plaut. mil. glor. 1231:

Spero íta futurum quánquam ˘illum multaé sibi expetéssunt

apparet, unam tantum consonam *l* pronuntiatam et auditam fuisse. Ex **en(i)lum* igitur factum est *ellum* (cf. Brixium, praef. ad Trinum. p. 18), ubi relictam videmus assimilationem, quae non est servata in *ilico:* altera *l* eiecta est et postea „antepaenultima nunquam non producitur" (prolegg. ad Pl. p. CXXII).

§. 18.

Ab huius disputationis consilio abhorrent omnia ea vocabula in quibus *n* excidit ante sibilantem *s*. Nam cum Guil. Schmitzius multis musei Rhenani locis docuit, omnes vocales ante *ns* producte esse pronuntiatas, tum aperte Cicero (orator 48 §. 159) praepositionis *in* vocalem ante *s* confirmat longam esse.

Neque huc pertinet:

iferos [17]) (cfr. inscr. Or. Henz. n. 7341) qua in forma

17) *inferus* et *infimus* iam Boppius composuit cum Scr. *adharas, adhamas*, ad quam sententiam sustentandam Corssenus (symb. crit. p. 198 sq.) exhibuit formam *iferos*, ex qua, cum nasalis non niteretur etymologica auctoritate, eluceret *n* litteram dimitti potuisse. Aliam Ioannes Schmidtius viam ingressus est (Kuhnii annal. XV [1866] p. 158.) sed successu parum felici. Existimat enim *inferus* Latinos dixisse pro **in(s)terus*, **inisterus*, praepositione scilicet *in* coniuncta cum duobus comparativi suffixis, itemque *infimus* pro **in(s)timus* **inistimus*. Sed in multis quidem vocabulis modo vidimus *n* quasi obsolevisse, quoniam *n* omnium sonorum ante *s* (cf. anusvara Sanscritum) est tenuissimus. At in Latina lingua talem litterae *s* eiectionem nullo certo exemplo comprobatam et cum ipso linguae ingenio, quale supra exposuimus, pugnantem, non statuerim. Aliis eisque etiam gravioribus argumentis illam refellit opinionem Corssenus (additam. crit. p. 192).

ante *f* labialem nasalis omissa est, quod *in* syllaba subiecta *f* Ciceronis testimonio (l. c.) producte dictum est.

§. 19.

Litera *n* in quo vocabulo ante *t* suo loco remota fuerit, est, ut vere dicam, nullum; nam quod eius rei a quibusdam (cf. Kuhnii annall. XVI. [1867] p. 198) affertur exemplum, prorsus est refellendum.

Pro *lanterna* enim saepius *laterna* forma usitatissima exhibetur, id quod falsum esse Buechelerus in mus. Rhen. n. s. XVIII [1863] p. 393 exemplis ex optimis manu scriptis depromptis affatim demonstravit: formae igitur carenti *n* littera aut nihil aut parum auctoritatis relinqui. Praeterea autem hoc habeo argumentum si non firmissimum, at certe adferendum. Non solum illo tempore, quo Romanorum litterae maxime florebant, sed extrema linguae Latinae aetate etiam a vulgo usurpatam esse formam *lanterna* Francogallico *lanterne* docemur.

Quamquam paullatim *n* omissam fuisse nemo negabit, talia etiam exempla codices vetustissimi nobis praebent, ut *pulveruletus* R. Aen. VII, 625; in hanc tamen quaestionem, quae omittit recentiora Latinae linguae saecula, nihil inde fructuum redundabit.

§. 20.

Consona *m* tribus tantummodo quod sciam in verbis ita eiicitur, ut producat vocalem antecedentem: primum

prelum quod Pottius (quaestt. etym. II[1] 288) iure ex **premlum* factum esse existimat. Optime enim et premendi notio in huius vocabuli usum cadit (Oelpresse) et formatio aliis exemplis iisque non paucis similis est, cf. *ve-lum* ex **veh-s-lum, ma-la* ex **mac-s-la, ala* ex **ac-s-la, sella* ex **sed-la.*

Accedunt duo vocabula in quibus *m* elisum est ante *n:* *septēni novēni*, quae distributiva nata esse ex **septĕm-ni* **novĕm-ni* manifestum est.

§. 21.

S litteram insequentes et liquidae et mediae consonae adeo respuunt, ut hae litterarum coniunctiones *sd, sl, sm, sn, sr, sv* in lingua Latina nunc quidem servatae non sint, nisi in paucissimis verbis, de quibus infra disputaturi sumus.

Ex antiquiore autem aevo plura exempla traduntur, in quibus *sm, sn* cet. pronuntiata sint, quorum nonnulla afferre lubet:

Festus s. v. dusmo (p. 67. Muell.) prodidit, ab antiquis *cosmittere* pro *committere* dictum fuisse. Quam formam Pottius (quaestt. etym. I[1] 253) ita explicare studuit, ut litteram *s* tribueret stirpi (* *smit*) comparato Goth. *smeitan*, Germ. *smizan*, sed Corssenus (symb. crit. p. 431) hanc opinionem recte spernens et propter notionis discrepantiam et diversitatem litterarum (exspectamus scilicet **smeithan*, non *smeitan*) non sine magna probabilitate iudicavit, *s* litteram olim adiunctam fuisse praepositioni *con*, velut praepositionibus *ab, sub, ec, ob*, al. (*abs-tinere, su(b)s-tentare, ecs-pedire, o(b)s-tendere*).

Deinde commemorandum est *vicesma*, quod reperitur in tabula aënea (C. I. Lat. I n. 187) qua in forma lingua quasi multo longius progressa esse videtur vel potius non plena et clara voce pronuntiatus sed tam tenuis et oppressus erat sonus inter *s* et *m* insertae vocalis *u* (*i*), ut plane interiret.

Denique *Losna* in speculo Praenesti reperto et adservato cum cista Ficoronia legitur (C. I. Lat. I n. 55) infra mulierem stantem iuxta quam luna dimidiata picta est. Corssenus (de pronunt.[2] p. 280. not. p. 362. not.) neque illam formam neque alias in eodem speculo scriptas (*Poloces, Amuces*) Latinae linguae proprias esse putat. Nescio quidem de nomine *Losna* quid statuam, at Corsseno non assentiemur, quippe cum apud Plautum (Bacch. 894) *Polluces* forma quamvis propter vocalem *u* paullo recentior nequaquam tamen prorsus diversa reperiatur et Varro (de l. Lat. V §. 73) haec tradat: „in Latinis litteris inscribitur

ut Πολυδεύκης Polluces, non ut nunc Pollux." Olim autem, ante Sullam, simplicibus consonis utebantur geminatarum loco, ita ut *Poloces* nihil habeat, quod displiceat. (Cf. O. Iahnus cista Ficoron. p. 57.)

§. 22.

Sed redeamus eo, unde profecti sumus. In permultis vocibus *s* excidit ante eas consonas quas supra posui. Primo loco commemorare velim verba cum praepositione *dis* composita, quae incipiunt a liquidis mediisque consonis atque substantiva inde derivata:

Diduco, dilabor, diligo, diluceo, diluculum, alia huius modi semper scribuntur pro **disduco, *dislabor* cet.

Item ante *m* labialem *dimittere, dimovere*, similia. Formam autem integram et intemeratam eius verbi, quod secundo loco posui, in senatus consultu de Bacchan. (C. I. Lat. I. n. 196.) scriptam reperimus l. 30. *dismota* (nom. plur.).

Deinde haec exempla afferam, quae pariter atque verba modo enumerata meliorum fide librorum et inscriptionum nituntur:

diripio, dirumpo, diruo, constanter in Vergili manu scriptis, *divido*, alia, olim certe **disripio, *disvido, disrumpere,* quam postremam formam in codice Bacchidum a Ritschelio littera B significato (v. 441.) habes, in aliis etiam *dirrumpere* geminata *r* littera.

In hoc numero etiam quaedam exempla habenda sunt, in quibus ante semivocalem *i* sibilans eiicitur:

diiudico et *diiungimur*, quod in Plauti mil. glor. 1327 veterrimi codd. praebent. Sed etiam *disiectus, disiungo* in usu erant.

Atque praepositionem *dis* brevem fuisse vel e verbis *dĭribeo* (pro **dis-hibeo*), *dĭrimo* (pro **dis-imo*) intellegitur. Omnibus autem in compositis modo allatis longam vocalem videmus; pauca tantum assimilabant sibilantem consonae subiectae, quod semper fit in iis, quae a littera *f* incipiunt.

§. 23.

Iam perlustremus vocabula, quae cum olim *sl* ostendissent, tum sibilantem extriverunt:

alea ex **aslea* procreatum esse Pottius (quaestt. etym. I[1] 519) statuit a rad. *as* iacĕre (cf. *prâsakas* pro *pra-asakas* Würfel).

Porro *pilum* descendit a rad. *pis* (Sct. *pish*) conterere, commolere, quae ipsa et immutata, *pisere* enim apud Catonem et Plinium reperitur, et nasali aucta: *pinsere* apud Ennium Varronis testimonio aliosque scriptores; *pilum* igitur dictum est aut pro **pis(u)lum* aut *t* inserto pro **pistulum*, id quod *pistillus* commendare videtur.

qualum e forma **quasilum*, **quaslum* contrahitur, ut deminutivum *quasillus* edocet. Quamquam Doederlini (synon. et etym. VI p. 295) coniecturae propter Graecae consonae ϑ cum sibilanti cognationem κάϑος quoque, quod Hesychius tradidit explicatione addita σπυρίς cum *qualus* et *quasillus* comparandum esse unum obstat, quod sonus fortasse similis est, nullo modo similis est origo earum litterarum; nunquam enim Graeco ϑ respondet Latinum *s*.

In his tribus verbis vocalis producta apparet, ubi antea brevis locum tenuerat. At uno in verbo, quamvis *s* ante *l* omissum sit, brevis vocalis remanet:

corpulentus, de quo conferas quae de *sempiternus* (§. 12) disputavi.

§. 24.

Transgrediamur ad eas voces, in quibus ante *m* eiectionem sibilantis statuere debebimus.

In duobus verbis antiquos *s* ante *m* locutos esse traditum est: *dumosus* et *omen*. De verbo *omen* in fine huius paragraphi disputabimus. *dumosus* autem dictum esse pro **dusmosus* facile est intellectu ex ea explicatione, quam Festus affert (p. 67, 8 Muell.): *dusmo in loco* apud Livium (Andronicum) significat dumosum locum. Quapropter Car.

Odofr. Muellerus in adnotatione ad illum locum recte putat, *dusmus* antiquum fuisse adiectivum. Hoc vocabulum si, ut Curtius (elem. etym. p. 211) coniecit, ex **densimus* factum similique modo ex hoc ortum est, quo *faciundus* ex *faciendus*, habuit syllabam ab initio productam. Neque tamen neglegenda est ea scriptura, quae in cod. Verg. Palat. prima manu (ecl. I, 15) reperitur *dummetum*, ut *dummosus* quoque ecl. I, 77 ge. II, 180 scribendum esse videatur (vid. Ribbeckii ind. gramm. ad Verg.).

Prorsus eadem ratio incidit in verba *pomerium* et *pomeridianus*, quae ex primitivis formis *posmerium posmeridianus* facta fuisse Ritschelius primus perspexit (cf. mus. Rhen. VII [1850] p. 566 sq. = opusc. II, 541 sq.) argumento usus, quod Festus (Paul. Diac. p. 248 Muell.) *posimerium* exhibet antiquiorem formam, qua re atque ex multis aliis causis a Ritschelio allatis argute coniecit, praepositionis *post* formam originariam esse *pos*, ea quae optime respondet Umbr. *pus*.

At forsitan quispiam obiecerit, *st* litteras eiectas esse, quod plena forma *postmoerium* apud Varronem (de l. Lat. V §. 143) legatur: accedere, quod Cicero diserte haec dicat (orat. 47 §. 157): et ‘posmeridianus’, ‘quadrigas’, quam ‘post-meridianus’, ‘quadriiugas’ libentius dixerim.[18])

At ego quidem pro comperto habeo, illam formam *postmeridianus* fictam esse ad similitudinem formae ea aetate usurpatae *post*, id quod apertis verbis Liv. I, 44, 4 significat: „*pomerium*, verbi vim solam intuentes, *postmoerium* interpretantur esse; est autem magis circamoerium.“ Ea enim aetate forma *pos* non amplius in usu erat; sed cum *post* dicere solerent, paullatim coeptum est usurpari *postmeridianus*, *postmoerium*.

Tum e forma *triresmos*, de qua iam §. 7 mentionem feci, priscam latinitatem *sm* coniuncta dixisse in verbo

**resmus* (*rēmus*) coniectare possemus, nisi illud monu-

18) Probandae esse mihi videntur Doederlini et Fleckeiseni emendationes; cf. Fleckeis. misc. crit. p. 48 sq.

mentum, columnam rostratam dico, Claudii demum imperatoris tempore scriptum esset. Itaque nihil aliud inde cognoscimus nisi quid ea aetate de antiquiore earum formarum condicione senserint. Verum si respicimus Graecam pari modo confictam vocem ἐρετμός, in qua ante μ posita est τ, verisimile videtur, illud *triresmus* recte formatum fuisse (ut in antiquiore lingua Lat. *pesna* e rad. πετ) atque *remus* e **resmus* exortum.

Postremo huc referendum est *semestris*, qua in voce duplex quidem littera *x* elisa est (cf. §. 27) sed fortasse *x* illa prius quam plane abiecta est, aliquamdiu in *s* emollita est, id quod in nonnullis vocabulis animadvertimus *sescenti*, *praetestati*, *mistus* pro *mixtus* al. (vid. Corss. de pronunt.[2] p. 297).

Etiam in *omen* eiectione sibilantis *s* factam esse productionem iudicaremus, si ex Varronis verbis (de l. Lat. VI §. 76): „alterum (*omen* scilicet) quod ex ore elatum est, *osmen* dictum“ recte efficeretur priorem huius vocabuli partem idem esse *os* quod exstat in *oscines*, quo nomine aves, quae ore facerent auspicium, ab auguribus appellabantur. At etiamsi nequaquam dubitandum est, quin vere antiquior eius vocis forma sit *osmen*, explicationem tamen Varronis non probamus.

Neque enim in Latina lingua ullum exstat exemplum coniuncti suffixi *men* cum substantivo, sed semper prior pars est stirps quae dicitur verbalis. Iam quaerimus quae sit radix eius syllabae *os*?

Omen autem dicunt rem fortuito auditam vel oculis conspectam, ex qua aut bonum aut malum vaticinatur. Iam cum sciamus et *o* saepissime factum esse ex *au* et revera verbum inveniri cum diphthongo *au*, quod perbene quadrat in *ominis* significationem, dico *audio:* facile est coniectatu, huius verbi radicem inesse etiam in nomine *omen.* Est autem rad. ἀF (ἀΐω) quacum Curtius Scr. rad. *av* beachten recte composuit et Lat. *aveo* (imper. *ave*). Ad eandem stirpem tribus in linguis *s* litteram adiectam invenimus

(Lat. *auris* pro **ausis;* Goth. *auso;* Lit. *ausis;* vid. elem. etymol. n. 619). Atque ab hac **ausmen*, *osmen*, denique *omen* deducendum esse, mihi quidem constat.

Quae si recte se habent, primitiva *ominis* notio haec est: id quod aliquo modo sensibus percipitur. Simul autem apparet a productionis suppletoriae exemplis hoc vocabulum esse eximendum.

§. 25.

In eis quae modo praecesserunt nullum exstat exemplum, in quo sibilanti ante *m* litteram extrusa brevis vocalis relicta sit. Quam normam non ubique valere, haec duo vocabula statim afferenda sunt documento:

Camena, de quo verbo Varro (de l. Lat. VII §. 26) haec protulit: „*Casmenarum* priscum vocabulum ita natum ac scriptum est.“ Etiam Festus eam formam antiquiorem exhibuit. Quibus testimoniis manifestum fit radicem eandem esse, quae in sanscrito *ças*, canere, praedicare et in nomine *çasman*, cantus, conspicitur (cf. Grassmann. Kuhnii annall. XVI [1867] 178). Sed ex eadem forma *Casmena* alia via ac ratione, mutato scilicet *s* in *r* prodiit *Carmena*, quam formam Varro l. l. tradidit: „alibi *Carmenae* ab eadem origine sunt declinatae,“ ut ex **casmen*, **silicesnium* factum est *carmen, silicernium.*

Atque *Camillus* aut *Camilla*, cuius plenior forma apud Vergilium exstat, Aen. XI, 543:

— *matrisque vocavit*
nomine Casmillae, mutata parte Camillam.

Hic quoque brevis vocalis post sibilantem eiectam non mutata est.

§. 26.

Sed iam ad aliud genus vocum accedendum erit.

n quoque nasalis, ut iam supra dixi, vim habere solet sibilantem sibi praepositam eiiciendi. Incipiamus a verbo *aëneus.* Cum et in lingua Umbrica *ahesnes* et in Sanscrita

ajasmaja (*ajas* ferrum), quae idem significant atque illa Latina vox, *s* littera inveniatur ante *n*, dubitari nullo modo potest quin in Latina quoque lingua *s* omissa sit.[19])

Sequitur *canus*, quocum composuit primus Aufrechtius (Kuhnii annal. II. [1853] p. 151) ex Oscorum lingua *casnar*. Ad hanc vocem explicandam nullo adiuvamur praesidio nisi loco quodam Varronis[20]) (de l. Lat. VII §. 29): „item significat (cascum scil. idem esse ac vetus) in Atellanis aliquot Pappum senem quod Osce casnar appellant.“ Recitavi autem illa, ut legi debere Mommsenus censet (vid. lib. de diall. Ital. p. 268) non ut vulgo leguntur. Proinde ab auctore sic concluditur: Senem quidem appellabant *casnar*, veteris igitur significatio in hoc verbo inerat. Atque cum verborum et *cascus* et *casnar* eadem stirps propria sit, *cascus* quoque significare necesse est vetus. De origine harum vocum nihil certi explorare potui.

Plurimis adductus maximae auctoritatis exemplis unice hanc scripturam veram probavit Fleckeisenus (tituli L p. 10). Quod attinet ad formationem idem vir cl. glossam adnotavit Festi (p. 339. Muell.), ut statim recte describam: „s c e s n a s [Sabini dicebant quas] nunc *cenas*“ simulque adiiciens, duobus in locis ab eodem auctore *caesnas* antiquiorem exhibitam esse formam pro *caenis*. Certum ergo est, in hoc quoque verbo *s* ante *n* excidisse.

---

19) Alia forma *aheneus* cum eadem auctoritate nitatur (cf. Fleckeiseni titulos L p. 7) qua illa non aspirata, recte suspicari videor, Sanscrito *j* in mediis vocabulis Latinis respondere aspiratam *h*.

20) Qui praeterea exstant tres loci, in quibus *casnar* legatur, hi nullius sunt momenti: primum quod Festus (vel Verrius p. 47,12): „*casnar* senex Oscorum lingua“ e Varronis libro exscripsit; deinde apud Nonium (p. 86. Merceri): „vix effatus erat, cum more maiorum ultro *casnares* arripiunt et de ponte in Tiberim deturbant“ neque traditum est *casnares* in codd., qui exhibent *carnales*, neque si traditum esset, quidquam afferret lucis origini; denique apud Quintilianum I, 5, 8: „in oratione Labieni in Pollionem *casnar* assectator e Gallia ductum est“ optimi codd. non habent *casnar* sed *casami* vel *casamo*.

Accedit quod in tabulis Iguvinis quater forma *çesna* invenitur, ubi sibilantem servatam videmus. Praeterea autem in eodem monumento *çersnatur* i. e. *cenati* traditur. Qui Umbrorum sonus litteris *rs* redditus cum semper fere factus sit e littera *d*, Leo Meyerus (gramm. comp. I, 245) recte coniecit, *cesna* originem deduxisse e rad. *khad*, edere.

Nolo silentio praeterire Iosephi Scaligeri coniecturam, qui procreatum fuisse e *cesna silicernium* suspicatus est, quam primus quantum videam in doctorum memoriam revocavit Leop. Schneiderus elem. II, 475 (non demum ut Fleckeisenus l. l. not. arbitratur Theod. Aufrechtius). Rectam autem opinor viam iam ipse Scaliger monstravit: „*cesna* — unde *silicesnium*, postea *silicernium*.“ Nam eam formam, quae est *cersna* unquam apud Latinos exstitisse parum veri simile est. Immo ex *d* littera, quae apud Umbros in *rs* abiit, in lingua Latina primum *s*, deinde *r* factum esse videtur.

degunere, quod ex una cognovimus glossa Festi (p. 71,21 Muell.): degunere degustare. Componendum est cum rad. γευ pro γευσ (γεύω) Scr. *g'ush*, gern haben ita ut primitiva forma **degusnere* fuerit. Cum nulla caussa afferri possit, cur stirpis *gus* vocalis longa esse debeat, in hoc numero posui, in dubio vero relinquendum est, utrum verbi *degunere* altera syllaba brevis an longa sit.

fanum. Ante *n* esse extritam *s* apparet ex Osco nomine *fiisnam* (*fe* superscr.), quod Mommsenus (lib. de diall. Ital. p. 308) interpretatus est per *fanum*. Hac de caussa Curtius (elem. etym. p. 231) maiore cum probabilitate a rad. *fes* (festus, festivus) Gr. θεσ deducit quam Varro (de l. Lat. VI. §. 54) a fando.

penis cum plane quadret propter notionem in Scr. *pasas*, Aufrechtius (Kuhnii annall. I [1851] 288) e **pesnis* factum esse putat, quod confirmari videtur Festi glossa (p. 205,14 M.): „*pesnis*, pennis ut Casmenas dicebant pro Camenas.“ Hunc locum Fleckeisenus sic emendare studuit (tituli L p. 11 not. alt.) ut *penis* pro *pennis* scribendum sit. Ac verisimile sane est, hoc loco antiquiorem formam traditam esse, quae

in ipsis litteris ad nostram aetatem traditis nunc non amplius inveniatur.

pone exortum est ex **posne*, in qua originaria forma ipsam illam a Ritschelio perspectam veterem praepositionem *pos* (vid. §. 24) recognovimus.

pono pro **posno* e **posino*. Et sibilans in perfecto *posui*, et brevis vocalis *o* comparet.

In *venum* et in verbo eiusdem stirpis *veneo* longa *e* vocalis facile explicatur per eiectionem litterae *s* quae apparet in Sanscr. vocibus *vasnas* Kaufpreis, *vasnam* Miethe.

Postremo eadem de caussa, qua commotus in proxima paragrapho *semestris* enumeravi, his adiungo

seni, *senarius* similia, quae facta sunt e **sesni*, **sesnarius* cet.

Omnibus his perspectis exemplis, in quibus olim invicem exceperant *sn*, productionem vocalis (ut omittamus *degunere*, quo in verbo utrum vocalis *u* compensationis caussa sit producta, an natura longa non liquet) invenimus eiecta sibilanti.

Sed aliam viam, assimilationem dico, ingressus est lingua in substantivo *penna*, quod in antiquiore latinitate *pesna* dicebatur pro **petna* (Gr. rad. *πετ*) cf. Festus p. 209.

§. 27.

Iam comprehendamus ea exempla, in quibus *x* ante *l* evanuisse videatur) quamquam verisimile est non statim *x* eiectum esse, sed prius delituisse *c* tum demum *s*. (Cf. Ritschl mus. Rhen. X [1855] p. 455. = opusc. II p. 687.) Videmus enim multis in vocibus emollitam esse *x* duplicatam litteram in *s* v. c. *pausillatim* pro *pauxillatim* (cf. Ritschelii gloss. Plaut. opusc. II p. 250); videmus in his vocabulis *sescenti*, *sescuplus*, *disco*, *misceo*, *Sestius* aliis non servatum esse *c* sed *s*; omnino autem insignem fuisse in littera *x* sibilantis pronuntiationem intellegitur ex vetustarum inscriptionum scriptura *xs*, e. g. *saxsum taxsat deduxsit*

(Corss. de pronunt.[2] p. 296). Ita evenit, ut ex **axla* **asla* fieret, postremo *s* ante *l* elisa, *ala*.

Cicero quidem (Orator 45 §. 153) haec habet: „quin etiam, verba saepe contrahuntur non usus causa sed aurium; quo modo enim vester 'Axilla' Ala factus est nisi fuga litterae vastioris? quam litteram etiam e 'maxillis' et 'taxillis' et 'vexillo' et 'paxillo' consuetudo elegans Latini sermonis evellit." At quis crediderit syllabam positione longam eamque etiam accentu praeditam excidisse? Immo *axilla* est deminutivum eius vocis quae fuit *axula*, quae quidem ab eo quod Gothi usurparunt *ahsala* non multum aberat. Quod si forsitan quispiam dixerit, simpliciorem subesse verbo *ala* formam **agla* quippe cum radix sine dubio sit *ag* (cf. Schwabei lib. de demin. p. 98) vel **acla* ex analogia Sanscr. açа (Curt. elem. etym. p. 123); obsistere videtur, quod et in Graeca et in Germanica lingua exstat radix sibilanti aucta *ax;* habemus enim ἄξων et *ahsa* et illud quod etiam significatione simillimum est, *ahsala*.

Similis ratio intercedit inter *mala* et *maxilla*, quae derivanda sunt a rad. *mak*, quae in Graeco μάσσω pro μάκjω *depsere subigere* apparet. *Mala* igitur (ex **masla*) id quod cibos depsit et subigit.

Deinde *palus* factum est ex **paxlus* **paslus* (cf. v. *paxillus*) a radice *pag* quae inest in *pango*.

Itemque *talus* ex **taxlus*, cuius radicem esse *tak* (cf. τεύχω, τόκος; Scr. *taksh* behauen, verfertigen; Lat. *tec-s-o* i. e. *texo, textura*) etsi non omnibus numeris certum est, ex eo tamen veri simile fit, quod ceteris quoque in linguis eam videmus auctam esse sibilanti *s*. Ex eadem radice emanarunt *tela, telum, subtilis.*

Denique *velum*, si ex similitudine reliquorum verborum quae enumeravimus licet coniecturam facere, non tam natum est ex **vehlum*, quam ex **veslum* **vexlum* (cf. *vexillum*).

§. 28.

Restat ut verba faciamus de **gutturalibus** meris in mediis vocabulis elisis. Quo in genere non iam ut in eis verbis

quae antecesserunt, per certos quosdam assimilationis quasi gradus diversas diversis temporibus cernimus formas, sed aut statim sola vocabula productione suppletoria facta aut praeter haec vocabula invenimus antiquissimas voces quae gutturalem adhuc exhibent, quo fit ut qua ratione ac via altera forma ex altera nata sit coniectando magis quam demonstrando detegere possimus.

Ut autem certo quodam ordine procedat disputatio nostra, a gutturalibus ante *l* elisis initium capiamus.

Quae Corssenus contra disputavit (de pronunt.[2] p. 641. not.) hanc gutturalis *c* eiectionem propterea non esse verisimilem, quod invenirentur vocabula *vinclum*, *periclum*, *poclum*, *oraclum*, *saeclum*, *gubernaclum*, *meraclum*, *miraclum*, *tabernaclum*, *vehiclum* similia, in quibus *cl* comodissime coniungerentur: hoc quidem propterea non magni momenti est, quod etiam alibi usum linguae parum sibi constare videmus. Nec ipse Corssenus in ea re sibi constat; ipse enim p. 638 concedit *c* ante *l* esse elisum in substantivo *telum* pro **tec-lum*, deinde p. 652 in voce *culina* (ex **coclina*, *colina* apud Nonium), immo p. 638 idem factum esse cum productione suppletoria statuit in verbis *ēlabi* (pro **eclabi*) *ēlucere* (pro **eclucere*).

Ac profecto verborum cum praepositione *ex* compositorum non eadem est ratio atque earum vocum quas supra commemoravimus: *ala mala talus* cet. (§. 27.) In illis enim prius elisa est gutturalis (**asla*), tum demum sibilans (*ala*). Contra hic (siquidem plena addita est praepositio *ex*, et non statim sicut in Graeca lingua altera forma *ec*) initium fecisse sibilantem apparet ex vetustioribus formis *ecfari*, *ecfatus*, *ecfatam*, *ecfero* al. Deinde gutturalis eiectionem secuta est vocalis productio, ita ut statuamus priores fuisse formas **ecdico*, **ecgero*, **eciicio*, **eclabor*, **ecmico*, **ecnascor*, **ecripio*, **ecvado*, postea

edico, *egero*, *eiicio*, *elabor* et quae sequuntur.

Media gutturalis excidit in

exilis quod contractum e forma **exig(i)lis* iam diu cognitum est.

In eodem numero ponimus

moles quod Duentzerus (Kuhnii annall. XV [1866] p. 366) non iniuria comparavit Gr. vocabulis *μόγος*, *μόχθος*, in quibus cum servata sit gutturalis veri simile fit Latinam primariam formam fuisse **mogles.*

§. 29.

Consonae *cm* nulla in voce Latina inter se coniunctae inveniuntur, id quod aperte dicit *Marius* Victorinus (p. 2456. Putsch.): „Juxta autem non ponebant (antiqui) *cm.*"

Quare primum in *lama* ante nasalem eiecta videtur gutturalis, quod comparatis vocibus *lacus*, *lacuna* perspicitur. In quibus cum vocalis primae syllabae brevis habeatur, originalem fuisse formam **lăcma* putare debemus, sed *lāma* forma stirpis vocalem longam ostendit.

Tum ad hoc verba *līmus*, *līmes*, *līmen* accedunt, quorum stirps in *lĭcinus* integra est conservata, sed magna est difficultas quod vocalem *i* vocis *obliquus* alia esse mensura, quam in *licinus* videmus. Nec tamen propterea prorsus negaverim illud verbum ex eadem stirpe potuisse oriri.

Etiam *rīma*, *rīmor* in hoc numero ponenda esse Pottius (quaestt. etymol. II[1] p. 283) recte suspicatur. Nam aut a verbo *ringi* derivata videntur, a quo vox *rictus* deducta est, aut a stirpe quae in Graeco *ἐρείκειν* inclusa habetur.

Nec minus in *temo* prima syllaba in gutturalem priore tempore exiit, quippe quod verbum cum radice *τεκ* (*τίκτω*, *ἔτεκον*) componendum esse constet. Cf. Curtium, elem. etymol. p. 198 sq. Si quis dubitationem moveat, num *c* littera ante *m* elisa sit an *g*, quam consonam non minus omitti posse ante nasalem labialem deinde demonstrabimus, scilicet quod ab eadem radice *τεκ* descendat *tignum: g* ex *c* ortam esse verisimile est subiecta littera *n;* non enim magis invenitur *cn* coniunctio in Latina lingua quam *cm.*

Earum litterarum de quibus modo mentionem feci concursus conspicitur sane in *decmus, decmo* (C. I. Lat. I n. 821). Sed leguntur haec in his solis duobus antiquioris monumenti locis. Adeo enim levis et exilis ille vocalis *u* vel *i* sonus in verbo *decumus* vel *decimus* fuit, ut vix videatur auditus fuisse propterea que facillime in scribendo omissus, quo facto duae consonae conveniunt, admodum difficiles ad pronuntiandum ut in *vicesma* (§. 21). Haec fuerunt, in quibus *c* gutturalis ante *m* a Romanis eiiceretur.

Lamentum ex hoc numero excipimus quoniam huius verbi significatio multo melius quadrat in Corsseni explicationem (symb. crit. p. 2) qui propriam fuisse **clamentum* existimat formam, quam in Pottii originationem, qui radicem *lak* inesse in hoc verbo arbitratur quae subest voci *loqui*[21]).

§. 30.

Venimus ad *c* abolitum ante *n* nasalem:

Lana dicitur pro **lacna*, quod propter significationem et elementorum concordiam respondet Gr. *λάχνη*, *λάχνος*. Eadem de caussa his adnumeranda est v. *lanugo*, in qua ipsa, cum prima syllaba producta sit, extrusam gutturalem coniicimus.

Neque ulli dubitationi obnoxia est eiectio gutturalis in v. *aranea* propter Gr. *ἀραχνός* vel *ἀράχνη*. Quamquam vox transiisse videtur in Latinam linguam e Graeca.

deni, denarius facta ex **decni* **decnarius*, quorum prior syllaba brevis est in *dĕcem*.

pinus e **picnus* Schleicherus (compend.[2] p. 259) fictum esse iure censet. *C* enim litteram videmus in *picea* (Gr. *πεύκη*) *pic-s* i. e. *pix*, a quibus vocibus non segreganda videtur *pinus*.

---

21) Quod Corssenus Pottii originationi obsistere dicit vocalis *ā* longam mensuram parum circumspecte iudicasse videtur vir doctissimus; non enim necesse est *lacmentum* fuisse formam originariam, sed *lāmentum* facillime evadere poterat per productionem suppletoriam ex **lăcmentum*.

Porro *planus* Curtius recte composuit cum *planca plancus,* Gr. *πλάξ, πλάκινος,* ita ut gutturalem primitivae formae propriam fuisse pro certo habeamus.

quini, quinarius e **quincni* **quincnarius* (cf. Gr. *πέμπε, πέντε*).

Denique similis litterarum ratio est in verbo

vanus cf. *văcuus,* de quibus non opus est ut copiosius dicamus.

§. 31.

Ne quis *g* consonam, si sit in stirpis extremo loco posita ante consonam *m* necessario ut *c* extrudi putet haec obstant: *fragmentum, augmentum, tegmen, segmen,* nisi quod in hoc media in tenuis locum successit.

Attamen etiamsi in his consona *g* servata est, in quibusdam potuit ea consonarum coniunctio displicere et vitari.[22]) Primum haec sunt dicenda, quae sunt maxime in luce posita:

examen deductum a rad. *ag* (*agere*) ut *agmen,* in quo *g* servata est; item *g* aliquoties legitur in Mediceo Vergili cod. prima manu scripta in *exagmine.* Ex hac origine facile intellegitur primariam notionem fuisse exigendi a qua quomodo reliquae significationes proficiscantur manifestum est.

Prorsus eandem rationem exhibet

subtemen, cuius in simplici forma (*tegmen*) *g* relinquitur

22) Prorsus autem displicere *gm* recentiore Latinae linguae tempore Schuchardtus (Vocalism. I, 146) probavit. Sic in Mediceo Aeneidos cod. scriptum est, ut Wagnerus (orthogr. Vergil.) nos edocet *amen* pro *agmen* V, 602, ubi prima syllaba sine dubio producta est. Quanquam Wagnerus hanc sententiam profert, ex ea scriptura colligendum esse, Christianos fuisse homines, qui Mediceum codicem exaraverint; verisimile igitur viro cl. videtur, memoriam illa lectione allatam fuisse eius vocis, quae in fine carminum sacrorum poneretur. At in errorem incidisse Wagnerum mihi persuasum est; cum librarium pronuntiandi consuetudinem scribendo imitatum esse multo sit probabilius.

et rursus in Vergili optimis codd. formam *subtegmen* scriptam invenimus. Hanc vocem cum subtexendi verbo cohaerere apertum est, derivatur ex eadem radice *tak*, quam littera *s* auctam in Scr. *taksh* et Latino *temo* cognovimus, sed in hoc numero enumeravi, quod media inter eas quas attuli voces, *teximen* dico et *temen*, forma (*tegmen*) semper in usu fuit.

flamen, sacerdotis nomen, cuius originem in flagrandi verbo (*φλεγ*) G. Curtius primus invenit (de nominum Gr. form. p. 42) qui adiicit: bene enim sacerdos ab incendendo igne nominatur. Nullo autem modo L. Meyero (gramm. compar. II, 275) assentiemur, cum temere iudicat exortum esse illud verbum ex Sanscr. *brahman*. Etiam in verbis derivatis, ut *flamonia*, flaminis munus, et *Flaminius* *g* omittitur.

Sed idem in alias voces cadit, ut in has quattuor: *contaminare*, *frumentum*, *iumentum*, *umidus*, id quod per rectam originationem certissime evincitur; *g* enim aut in formis cognatis apparet aut invenitur in radicibus, a quibus defluxerunt vocabula.

A rad. *tăg* (*tangere*) originem duxerunt **contagminare* vel **contagminatio*, unde postea nata sunt *contaminare* et *contaminatio*. Contra verba *contages*, *contagium*, *contagio*, quae ex eadem radice descendunt gutturalem tenuerunt. Sed quamquam in his quoque vocalis *a* producitur, rationem horum vocabulorum aliam esse, quam antecedentis vocis (*contaminare*) sponte elucet. Augetur enim ut in *lēgio*, *condīcio* quantitas vocalis in verbis *contages* al., ad sublatam positionem compensandam producitur in *contaminare*.

Eodem modo in nomine *frumentum* productam illam litteram *u* ortam esse intellegimus; puto enim adhibita verborum in aliis linguis comparatione, Scr. *bhug'*, Gothic. *brukjan*, in nostra lingua *brauchen*, quippe quae omnia gutturalem habeant, eam quam participium *fructus* praebet et *fruges* radicem accipiendam esse *frug*, unde extitit **frugimentum* ut *tegimentum*, *regimen* al. deinde **frugmentum*, denique gutturali littera amissa *frûmentum*.

Huc proxime accedit tertium, quod supra posui, verbum *iûmentum*, quod a rad. *iŭg* (iungere) descendens profecto olim fuit **iugmentum.*

Porro in voce *ûmor*, *ûmidus* cum descendat a rad. *ug*, ita ut **ugmor*, **ugmidus* formae prius conformatae sint, *g* interiisse G. Curtius in elem. etym. p. 170 comparatis linguarum cognatarum verbis, quae et notione et formatione accuratissime responderent, satis luculenter demonstravit.

Ad illa vocabula, quae omnia longam vocalem habent, quamvis radicum vocalis sit brevis, adiiciendum est

stimulus, ubi *g* ita iteriit, ut nullum eius remanserit vestigium. Derivatum enim est ex rad. *stig* (*στίζειν*), unde etiam *stĭlus* (pro *stiglus) descendit.

Mirifice ab eis verbis de quibus modo disputavimus abhorret *flamma*, quod etsi eandem habet cum substantivo *flamen* stirpem *φλεγ* (flagrare), non tamen sicut *flamen* productionem ostendit suppletoriam, sed assimilatione factum est.

§. 32.

C ante *t* excidere potuisse cum olim Corssenus omnino negavisset, duo certe exstare eius rei exempla postea concessit: *Vitoria* quod in speculo Etrusco scribitur pro *Victoria* et *autor* scriptura non minus probata quam *auctor*. Atque exempla nos, quod haec disputatio postulet, adiungimus haec verba:

Setius. Quae ad scripturam spectant a Ritschelio (proleg. p. LXXV. CCCXXIV), Wagnero (orthogr. Verg. p. 472), Fleckeiseno (mus. Rhen. n. s. VIII [1852] p. 222 sq.), Klotzio (ad Terentii Andriam p. 108) exhibita sunt, quibus haec commemoranda habeantur, *setius* scripturam et in tam antiquis monumentis reperiri quam sunt lex repetundarum (C. I. Lat. I n. 198,70) et sententia de finibus inter Genuates et Viturios regundis (l. l. n. 199, 26) et in compluribus bonorum Plauti manu scriptorum locis, tum ubique in Mediceo, Vergilii codice, denique apud Lucret. VI, 315, ad

quem locum Lachmannus breviter haec adnotat: *secius* prima manu oblongus, quod falsum est. Sed tamen multis in locis codices scripturam *secius* praebent, varia lectione non adscripta, cf. e. g. Terent. Andr. 3, 2, 27 (507 Fleckeis.). Praeterea autem reconditiori quoque formae *sectius* in hoc Plauti versu (Menaechmi 5, 7, 57): „*Haéc nihilo esse míhi videntur séctius quam sómnia*" fidem facit Varronis apud Gellium (N. A. XVIII, 9, 4) traditum testimonium.

Iam quaeritur, quo modo explanari possint eae, quas enumeravi, formae?

Ante omnia mihi commemorandum est, illas formas ab adverbio *secus* separari nullo modo posse, quod cum saepissime in manu scriptis loco formarum *setius* vel *secius* vel *sectius* inveniatur, tum propter formam et notionem ad comparandum per se in mentem incidat.

Itaque eam sententiam quam Fleckeisenus exposuit, Corssenus plus semel (symb. crit. p. 8 sq. additam. p. 47) impugnavit, sustentandam esse puto.

A stirpe *sec* adverbia *secus* et **secitus* derivata sunt. Ex hoc postremo comparativus **secitius* conformabatur, qui vocali *i* elisa *sectius* factum est. Quod Corssenus contra monet: etsi fortasse a verborum radicibus adverbia in *-itus* nasci possint, nullo tamen modo horum adverbiorum exstitisse comparativos, id non ab omni parte rectum est. Habemus enim apud Celsum duobus in locis (V, 26, 7; 28, 11) comparativum *penitius.*

Quam vero explicandi rationem ipse vir cl. proposuit: e Sanscrita radice *sang'* adhaerere Latinam stirpem *sang* vel *sag* procreatam fuisse, ex ea participium *segto* et ex hoc denuo comparativum formatum, ita ut primitiva notio „magis adhaerens vel lentius, tardius" esset; ea primum propter artum notionis vinculum, quod intercedere inter *sectius* et *secus* supra commemoravimus, non verisimilis est, neque in ceteros locos praeter tres illos a Corsseno allatos quadrat (Plaut. Cist. IV, 2, 24 dico: *Sed memet moror, cum hoc ago setius* et Tab. Genuat.: Mora non fiat, quo *setius* eam pequniam accipiant, denique Lex

Servil.: Nec facito [quo] minus *setiusve*-fiat, iudicetur-) neque in ipsis illis locis necessaria est.[23]) Nulla enim caussa est, cur recedamus a volgari atque usitata explicatione *aliter*, verbi caussa *aliter atque oportet*, deinde *remissius*. Et quod Charisius (instit. gramm. lib. II. p. 194. Putsch.) affert, qui explicat: *secius* tarditatem facientis indicat, serius temporis, item nihili aestimandum est, quippe quod ne in hunc quidem ab ipso Charisio laudatum locum cadat (Verg. Georg. III, 367):

Interea toto non secius aëre ninguit,

in quo cur reiicienda sit notio *aliter* non video.

Verumtamen (id quod cum nostra quaestione artissime cohaeret) Corssenus sua explicatione in idem recurrit, quod nos demonstraturi sumus, ipse negavit: *c* consonam elidi ante *t*. Nam formam **segtius*, quam substituit, in *sectius* transiisse necesse est, sicut *actus* pro **agtus*, *lectus* pro **legtus*. Tum formatio nulla alia esse potest, nisi quam Fleckeisenus proposuit: omittitur enim *c* ante *t* consonam et producitur compensationis cuiusdam caussa vocalis praecedens, quae in simplici forma *sĕcus* brevis est.

Quae si recte disputavimus, in verbo *setius* pro comperto habebimus, *c* consonam extrudi ante *t*.

Neque aliter de verbis *invitus*, *invitare*, *vitare* existimo. Posteaquam ea quae Fleckeisenus (l. l.) et Curtius in philol. annal. (XCI [1865] p. 126 sq.) exposuerunt diligenter cognovi et perpendi vix dubitandum esse arbitror quin *invitus* e rad. fluxerit *ϝεκ*, servata in *ἑκών* et Scr. *vaç* wollen, a qua descendit part. **vicitus*, **invicitus*, quod propter litterarum rationem respondet Gr. *ἀ-ϝεκητος* (cf. *ἀέκητι* apud Hom.).

Verbum autem *invitare* contractum est ex * *invic*(*i*)*tare*, **invocitare*, rad. *vec* (cf. Gr. *ϝεκ*), *vitare* ex **vic*(*i*)*tare*, rad. *vic* (cf. Gr. *ϝικ*).

Quod vero attinet ad vocabulum *suspicio* a verbo suspi-

---

23) Cf. Curtius, elem. etym. p. 665: Der Etymolog muss sich sehr hüten eine Vorstellung, die einem Worte allenfalls zu Grunde liegen k a n n, gleich als w i r k l i c h ihm zu Grunde liegend hinzustellen.

ciendi formatum, non possum Fleckeiseno (vid. etiam titul. L p. 30.) assentiri, qui **suspicitio* ab initio formam fuisse putat. Nam Corssenus et in bonis codicibus traditam esse *suspicio* scripturam demonstravit (symb. crit. p. 15) et comparavit formationem verborum *condicio, dicio,* aliorum, quae in optimis manu scriptis cum *c* scripta sunt. Ut autem *dicio* ex ipsa rad. *dic* derivata est, sic *suspicio* e rad. *spec.*

Atque similis quaedam ratio est in verbo

convicium, quod admodum probabiliter cum verbo *invitandi* a Curtio ita comparatur ut ab eadem stirpe *voc* forsitan eo tempore exierit, quo ea iam in *vec* erat mutata (cf. Corss. symb. crit. p. 72).

Quare *suspicio* et *convicium* e numero earum vocum, quae omiserunt gutturalem ante *t* litteram removebuntur.

Neque ante semivocales media gutturalis quae sola illis antecedere potest, remanet.

§. 33.

Plurimis exemplis ante *j* (*i* consonam) emissam esse *g,* docuit Th. Aufrechtius in disputatione (Kuhnii annal. I) quae inscribitur: *Das lateinische j im Inlaut.*

Sunt autem haec:

Primum *māior, māius* pro **magior,* **magius,* in quo quidem omissa gutturali producitur vocalis.

Tum *aio* ex **agio* provenit, quod verbum declinatum est a Scr. stirpe *ah* dicere. Quae radix brevis mansit in substantivo *adăgium* e quo simul conspicitur vocabuli *aio* spirantem *i* non respondere Sanscrito *h,* quod ut semper in mediis vocibus sic in **agio* Latino factum est *g.*

Deinde *meio* per productionem suppletoriam ortum esse putant ex **migio,* quod a rad. *mig,* Scr. *mih* effundere, praesertim: mingere Gr. *μιχ* (*ὀμιχέω*) derivatum esse propter significationem et propter litterarum rationem certum est. Sed rectius iudicare Curtius videtur, qui e radice *mig* duplex verbum prodiisse existimat, alterum adiecta nasali *mingo,* alterum aucta vocali **meigio,* quod tum transiit in **mēgio, meio.*

At coniectari licebit *puleium* ab forma apud Ciceronem tradita *pulegium* descendisse, cuius verbi secundam syllabam brevem esse versus Sereni Samonici (I, 18) est documento:

Pulegiumque potens una super aure locabis.

Sed cum hac una, quod sciam, auctoritate illa mensura constet, caussam non video, cur lexicographi recentiores *pulēgium* longa *e* vocali exhibeant.

Postremo de comparativo *peior* plura dicam oportet. Tres enim sententiae sunt prolatae, de quarum una, quam Corssenus proposuit (Kuhnii annal. III [1853] p. 249) propterea mentionem non facturus sum, quoniam ipse postea (de pronunt.[1] I, p. 311) Aufrechtii explicationem probavit. Hic enim (Kuhnii annal. III, p. 202) ait, cohaerere comparativum cum rad. *pîg'* beschädigen, cuius cum nullum inveniatur testimonium, tam dubiam originationem accipere nullo modo ausim.

Probabilius autem E. Foerstemannus in dissertatione de comparativis et superlativis linguae Gr. et L. [Halis 1844] p. 33 *peior* cum *παχύς* confert, iis argumentis adhibitis, quae dubitationem nullam relinquant. Censet enim „*peior* nihil aliud fuisse nisi *πάσσων* illud Homericum, ita ut primum significaverit crassum, deinde rudem et hebetem, quod idem ipsa verba *παχύς* et crassus significant. Positivum igitur esse putat adiectivum *pinguis*, quod idem esse ac *παχύς* ad unum omnes consentiunt, ita ut inter comparativos *pinguior* et *peior* eadem fere ratio intercedat, quae inter *mingo* et *meio*", nisi quod, cui sententiae Curtius fidem facit (elem. etym. p. 249. 455) *pinguis* pro *penguis* habendum est, qua re etiam facilius *peior* explicabitur.

Hoc igitur his exemplis confirmatur, gutturalem *g* cum consona *i* non esse a Latinis coniunctam, atque vocalem quae anteierit, *g* eiecta, productam.

§. 34.

Iam de iis verbis est disputandum, in quibus ante *v* semivocalem gutturalis interiit, id quod factum esse in

brevis patet ex Graeco *βραχύς*, quae iam Festus iudicavit esse cognata (p. 31, 11 Muell. *Breve* a Graeco descendit, quod est *βραχύ*);

in *levis* Benaryus primus statuit (röm. Lautlehre p. 208) propter Sanscritum *laghu* (vid. Boppi gramm. comp. p. 13) et Graecum *ἐλαχύς*. Quibus in verbis, exortis ex **bregvis* et **legvis*, *v* littera est quasi indurata ex *u* vocali, quae vocalis e. g. in verbo *tenuis* (Scr. *tanu*) quamvis id quoque verbum transierit in declinationem cum vocali *i*, servata est, cum aliis in vocibus, consona non eiecta, *v* exstiterit, ut gravis pro **gar-u-is* cf. Scr. *guru*.

Porro in *nivit*, *niveus*, in casibus obliquis, qui ad nominativum *nix* pertinent, aliis verbis cognatis, quae ducta esse a radice *snigh*, Scr. *snih*, humidum esse, Benfeyus (griech. Wurzellex. II, 54) contendit, gutturalis originariae stirpis exstat, quod apparet ex multis formis velut e nominativo *nix* i. e. **nig-s* pro **nigv-s*, e tertia sing. persona *ningit*, al.

Fortasse etiam *reduvia* huc facit, ortum ex **red-ungvia* quocum compares *unguis* a rad. *nagh*, quae transponitur in *angh*, cf. Scr. *nakhas*, unguis (cf. Corss. symb. crit. p. 587).

Quibus omnibus in vocabulis vocalem, quae in stirpibus fuerat brevis, etiam elisa *g* littera brevem manere videmus. His vero consideratis Corssenus videtur recte sic iudicasse (de pronunt.[2] p. 390): omissa littera *g* ante consonam *v* nunquam productam esse compensationis cuiusdam caussa vocalem praecedentem.

Attamen de hac re virum doctum prorsus opinio fefellit. Sunt enim vocabula, quae ante *gv* vocalem correptam habent, productam *g* littera eiecta, et ita quidem ut caussa propter quam longa vocalis sit usurpata nulla alia conspiciatur nisi eiecta gutturalis. Ad quam sententiam his exemplis adductus sum:

Primum verbum *conivere*, quod longam vocalem ostendit, cum in stirpe e qua est derivatum: *nĭc* vel *gnĭc* brevis insit. Georges quidem in suo thesauro (ed. 1861) cf. etiam elem. etymol. p. 285 n. 442 notavit *nīco*, sed vereor ne in

errorem inciderit. Nam illo loco Plautino (Truc. II, 1, 63. 64) quo uno verbum *nicere* legitur, perfectum usurpatum est. Sed cum tempora perfecta vocalem producere soleant, necesse non est, opinor, praesens quoque scribere cum longa *i*. Quae cum ita sint negare non debemus vocalem *i* productam esse postquam *g* ante *v* omissa esset.

Etiam in *mavis*, *mavult*, *mavultis* longa vocalis *a* mensura effecta est per elisionem gutturalis; constat enim hoc verbum contractum esse ex **măg*(*e*)*vis* **măg*(*e*)*vult* cet. Idque Corssenus quoque statuit p. 640: cuius mirere inconstantiam, quippe qui denuo p. 653 negaverit *g* ante *v* periisse cum productione suppletoria.

uva quod a Curtio (elem. etym. p. 171 n. 159) haud dubie recte cum Lit. *ůga* Beere compositum est ita ut ex **ugva* exortum sit. Si quis primam formam non esse **ŭgva* sed **ûgva* putet, is quo se nomine tutetur nescio: nam in omnibus verbis congenitis u vel v brevis est, cf. ὑγιής (⏑ ⏑ –).

uvere, quod Corssenus ipse (symb. crit. p. 57) auctore Curtio factum esse ex **ugvere* probavit; in Graeco enim ὑγρός, cui comparatur Scr. *uksh* besprengen prima syllaba brevis est, at in Latina lingua *ūvere* producte dicitur.

Hoc igitur constat, eam normam quam Corssenus proposuit, non fuisse constantem, sed in plurimis eam valuisse, in quibusdam non valuisse: eiecta *g* gutturali ante *v* vocalis praecedens aut relinquitur intacta aut producitur.

§. 35.

Iam de iis vocabulis est videndum, quorum in terminationibus consona evanuit. Consideremus autem tales tantum syllabas finales, quales consonantibus terminatae sint, nam productio suppletoria in iis Latinae linguae vocabulis statui non potest, ubi vocalis, consona abiecta, in fine posita apparet velut e. g. in Sanscr. lingua *pitâ* pro *pitars*.

Postquam cognovimus mediis quoque in vocibus saepenumero vocalem non productam esse, etsi duarum con-

sonarum alterutra interiisset, non mirabimur, si syllabae finales brevem vocalem habere videbimus, quamquam consona eiecta longam mensuram positionis gratia facile quis desideret, praesertim cum quasdam terminationes, quae a principio longam vocalem habuissent, paullatim quasi elevatas esse pronuntiando et ad brevitatem depressas satis constet.

§. 36.

Quod factum est in suffixo *ter*. In hoc *s* littera, primitus ad nominativum significandum addita, effecit ut ultima syllaba in *rs* terminaretur (v. c. **paters*, cui respondet Graecum **πατερς*): secunda consona deinde abiecta longa vocalis exorta est (Gr. *πατήρ* Lat. *patêr*), quam retinuerunt veteres, id quod e tribus Vergilii locis concludi potest. Sunt autem haec:

Aen. V, 521: *Ostentans artemque pater arcumque sonantem.*
— XI, 469: *Concilium ipse pater et magna incepta Latinus* —
— XII, 13: *Congredior. Fer sacra, pater, et concipe foedus.*

Quibus in locis a Vergilio formam quae antea usitatissima fuisset, restitutam esse contendit *Fleckeiseneus* (philol. annal. LXI [1851] p. 32).

Cui sententiae Corssenus (de pronunt.[1] I, p. 360 sq.) propterea adversatur, quod in tribus illis locis, quos citavi, vox *pater* in caesura posita sit, caesura igitur effici ultimae syllabae productionem; praeterea autem constare syllabas finales Romanis placuisse breves, Graecis longas.

Iam breviter caussas narrabo quibus commotus ea quae Corssenus protulit improbaverim.

Certe nemo est, qui ignoret, syllabas finales paullatim in Latina lingua correptas esse, neque vero quisquam negavit, sed Fleckeisenus sic argumentatus est: antiquiore tempore longa fuisse syllaba finali verbum *pater*, ut comparativos qui iam apud Plautum (cf. mil. glor. 1294: *minŏr éa*) breves inveniantur, ut suffixum *tôr* quod postea corripiatur.

Hoc igitur loco non tam quaeritur, quo lingua fuerit inclinata, quam quae formae fuerit origo. Deinde si meminerimus, Augusti aetate poetas aliquoties longam mensuram restituisse, pro qua, cum secundum ipsam originem necessario longa esset, scenici poetae et volgus brevem substituerant (cf. *hic* certe productum sive exortum ex **hisce* sive ex **hoice*, brevi vocali apud Plautum invenimus, apud Vergilium longa, cf. Aen. VI, 791: *Hic vir, hic est* ....) facilis erit coniectura, eandem condicionem esse suffixi *ter* vocem igitur *pater* producte ab initio dictam esse.

Sequuntur tria vocabula in liquidam exeuntia, quae omni tempore productam vocalem servarunt:

Lār, pār, sāl. Sine dubio in his nominativi signum consona *s* fuit, **Lars*, **pars*, **sals* cf. Gr. ἅλς; genetivus autem cum stirpis brevem ostendat vocalem: *Lăris*, *păris*, *sălis*, in nominativo abiecta littera *s* vocalis producta est.

§. 37.

Liquidam *l* autem in fine positam vocis elisam esse ante *s* verisimillimum mihi videtur in secunda persona sing. ind. a verbo *velle*, sed non ex **vlis* exortam esse *vis*, ut Corssenus olim in symb. crit. (p. 388 sq.) contenderat.

Aliam quidem explicationem postea proposuit in additam. p. 288. ac prior eius opinio praeter eam caussam, quam ipse protulit, etiam propterea refutanda erat, quod quomodo secundum illam longa vocalis, auctore Prisciano (XIII, 6 H.) ab antiquissimis per *ei* (*veis*) scripta, explicari possit nemo perspiciat. Recentior vero Corsseni sententia haec est: Declinatam esse Latinae stirpis formam *vol*-, *vel*- e radice *var*, in lingua Sanscrita eligendi potestate praedita, ita ut *r* littera in illa persona, de qua dicimus relinqueretur; fuisse igitur antiquiorem formam **vers*. Ne hoc quidem cuiquam opinor persuadebit. Graeco-italico enim tempore iam illa *r* littera radicis *var* non amplius in usu esse potuit, id quod e Graeca voce *βούλομαι* (rad. *βολ*) luculenter cognoscimus.

Itaque puto, primitivam fuisse formam *volis*, quae offensionem non praebet, si respicimus primam pluralis personam *volumus*, quae ipsa vocalem ante terminationem ostendat. Vocalis autem *o* in *volis* propter sequentem *i* litteram in *i* transiit; nam eodem loco, quo vocalis *o* vel *u*, olim *o* fuerat in vocibus *consul* (*cosol*), *famulus*, *incola* in aliis cognatis verbis *i* successit, velut in *consilium*, *familia*, *inquilinus*. Praeterea commemoranda sunt quae Ritschelius (in indice schol. hibern. a. 1853 et 1854 p. V.) inter se comparavit: *Vergulejus*, *Vergilius*, *Avolejus Avilius*, *Canulejus Canilius* al. (videas etiam Corssenum de pronunt.[1] I, 305). Deinde ex forma **vilis* orta est eiecta posterioris syllabae vocali **vils*, quo in verbo quamvis in ceteris vocabulis, ubi *ls* in fine coniunctae fuerant, *s* abiici solebat, *l* littera eiecta est: remansit alterius personae suffixum *s*, quippe quae littera illius formae propria sit et peculiaris. Ita bene explicatur longa huius vocis mensura.

§. 38.

Idem evenit in paucis vocabulis quorum stirps finitur in *s*:

arbōs ex **arbos-s*, *Cerēs* ex **Ceres-s*, *pulvīs* e **pulvis-s*. Quamquam in *pulvis* postea vocalis correpta est.

Etiam in nominativo *mas* longam esse vocalem *a* complures lexicographi confirmant, cuius rei quoniam nominativus huius vocis apud poetas ita tantummodo usurpatur, ut sequatur consona positionem efficiens, nullum exstat certum exemplum.

Denique huc adiungimus nonnulla substantiva in quibus ante nominativi notam *s* excidit dentalis

abies, *aries*, *paries*, *pes*.

De mensura verborum *pollis* et *vas* eadem de caussa quae pertinebat ad *mas* certum iudicium facere non licet.

§. 39.

Iam saepius hac in disputatione mentio facta est vocabulorum quorundam quae cum speciem productionis sup-

pletoriae praeberent, nobis huc pertinere non viderentur; in eodem denique numero collocamus perfecta non reduplicata, e radicibus *a* litteram continentibus deflexa, quae vocalis producitur in perfecti formis, dico: *fregi*, *feci*, *cepi*, *egi*, *pegi*, *jeci*; nam quod Boppius (gramm. comp. II p. 428) ponit, haec perfecta productione suppletoria facta esse ex **fre(f)gi*, **fe(f)ci*, **ce(c)pi* hoc repelli iure mihi videtur a Corsseno (symb. crit. p. 530 sq.) qui explicationem magis probabilem in medium protulit: primum formas reduplicatas exstitisse v. c. **jejăci*, tum stirpis syllabae vocalem et quasi debilitatam et productam, **jejēci*, **fefēci* al., denique syllabam reduplicatam evanuisse; nam profecto perfecta eo incumbunt, ut vocalem producant (cf. *video*, **vevîdi*). Eiusdem generis est *coëpit* apud Lucret. IV, 619, quod descendit a rad. *ap* in *ăpiscor* (*apere*).

§. 40.

In praefatione significavimus ex ipsa linguae natura profluere studium quoddam facilioris pronuntiationis, quod varie vocabulorum formas mutet. Neque vero ea linguae proprietas tam subito progreditur, ut consonis difficilioribus statim elisis prorsus diversas continuo formas efficiat. Sed sensim sensimque per varios commutationis quasi gradus originarias voces ita dissolvit et emollit, ut facillime denique et lenissime singulae litterae inter se excipiant. Iam si quaerimus qui sint ei emollitionis gradus non opus est ad meras confugiamus coniecturas quibus certi quidquam atque indubitati admodum raro eruatur. Sed in inscriptionibus librisque Latinis et in cognatis Italiae linguis firmissima mediarum illarum formarum relicta sunt vestigia.

Ac primum quidem ut exordiamur ab exemplis certissimis dimidia fere pars omnium eorum vocabulorum, de quibus agitur in disputatione ita comparata est, ut praeter eas formas quae productione suppletoria ortae sunt, aliae exstent aut certe antiquissimis temporibus linguae Latinae

exstititisse inscriptionum et grammaticorum testimoniis demonstrentur formae a s s i m i l a t a e.

Sunt autem hae:

pm: āmentum ammentum;

dl: rĕliquiae relliquiae; rĕligio relligio; relatum rellatum;

ds: divīsi divissi;

dt: cāsus cassus; fūtilis futtilis;

sr: dīrumpere dirrumpere;

sn: pēnis pennis.

In hoc exemplorum numero desunt quaedam consonarum coniunctiones: *dc dn rs nl ml mn sl sm* quae etsi in eis verbis de quibus nunc disserimus assimilatae non inveniuntur (nusquam enim legitur **quoccirca* **finnis* **unosse* **illico* **prellum* **septenni* **allea* **pommerium*) in aliis tamen vocabulis eandem ineunt commutationem: habemus enim *accumbere* pro **adcumbere*, *mercennarius* pro **mercednarius*, *prossus* ex **prorsus*, *corolla* pro **coronla*, *colligo* pro **comligo*, *solennis* et *sollemnis*, *polluceo* ex **posluceo*, *dummedum* pro **dusmetum*, ut potuisse certe aliquando etiam illas formas **quoccirca* **finnis cet.* in usu esse negari vix queat.

Quid igitur impedit, quominus i n o m n i b u s e i s e x e m p l i s u b i c o n s o n a e *pm bm tn* (sn) *dc dl dn ds dt rs nl ml mn sl sm sn sr* c o n j u n g u n t u r i n t e r f o r m a m o r i g i n a r i a m e t f o r m a m p r o d u c t a m a s s i m i l a t i o n e m o l i m i n t e r p o s i t a m f u i s s e coniiciamus?

Deinde non plena assimilatio facta est in eis vocabulis ubi inter se excipiunt consonae *rd*, *ri*, *di*. Sed harum quoque vocum similis est ratio et explicatio. Litterarum enim *r* et *d* certe sonus natura tam similis erat ut similiores fieri vix possent. Et in coniunctionibus *ri*, *di* assimilatio omnino existere non poterat, quia spirantes nunquam geminantur.

Denique nasalem *n* ante *h*, *i*, *v* fere semper obscuratam et sic ad sequentis consonae naturam propius adductam esse Corssenus docuit.

Cognata est ratio et condicio earum consonarum quae in fine vocabulorum positae eiiciuntur et vocalem ante-

cedentem producunt. Singula enim sententiae vocabula cum ita in sermone coniungantur, ut nulla interposita mora alterum excipiat alterum, similiter atque in mediis vocabulis prius fit assimilatio; in aliis vocibus progressiva quae vocatur v. c. **Lars *Larr*, **sals *sall* (cf. *fer-se ferre*, *vel-se velle*), in aliis regressiva ut in *pes* i. e. **peds*, **pess* (cf. **divid-si divissi*). Deinde littera assimilata evanescens efficit productionem suppletoriam.

In omnibus igitur his vocabulis prior consona ita emollita et obscurata est, ut ambiguus quidam et anceps sonus existeret qui non iam verae consonae haberet vim et pronuntiationem, sed quasi antecedentis vocalis contineret supplementum. Ita facile evenit, ut denique nihil audiretur nisi producta vocalis, consona sequens plane evanesceret.

§. 41.

Difficilior est explicatio eorum verborum, in quibus gutturalis eiecta antecedentem vocalem produxit, quippe in quibus verbis ipsa lingua Latina medias formas quae explicent diversos commutationis et transitus gradus non praebeat. Attamen non omnibus destituti sumus explicandi adiumentis. Habemus enim substantiva *aranea lana*, quae cum eandem habeant et stirpem et formationem atque Graeca nomina ἀράχνη, λάχνη, ex ipsa lingua Graeca in Latinam transiisse non iniuria censentur. Apparet igitur in his nominibus gutturalem χ excidisse ante nasalem. Deinde in lingua Umbrica pro Latino *c* substituitur aspirata *h* ante *t*: *rehto* = Lat. rectus, *ahtu* = Lat. acto (monum. Umbr. II. p. 367 sq.). Iam cum ne in illis quidem vocabulis Latinis verisimile sit continuo excidisse gutturalem, quid tandem obstat, quominus fuisse aetatem censeamus, ubi Romani quoque litteram *c* ante *t*, *m*, *n* similiter pronuntiarent atque Graeci aspiratam χ, Umbri *h*, praesertim cum ante Sullae aetatem consonas aspiratas omnino non scriptas esse constet. Hinc autem facillime fieri poterat ut aspirata ad exiliorem paullatim sonum redacta cum vocali

denique ita coniungeretur, ut hanc produceret, ipsa non iam audiretur. Si forte quis miretur quod non pauca inveniantur exempla in quibus consona elisa vocalem non produxerit magnopere sane se commendat Corsseni sententia, qui eo ait inclinare linguam Latinam, ut producantur vocales in syllabis accentu expressis, breves maneant in syllabis gravibus. Habemus enim v. c. *mṓles*, sed *mŏléstus.*

§. 42.

Denique breviter exempla, in quibus conspicitur productio suppletoria cum eis comparemus, in quibus consona eiecta intacta mansit vocalis.

p elisum est in *amentum* cum productione suppletoria,
— ” ” „ *ămes* sine prod. suppl.,
b ” ” „ compositis cum praepositione *ab* cum prod. suppletoria,
t ” ” „ *viceni, treceni* al. *duceni* cum prod. suppl.
d ” ” „ *quocirca, hoc; reiectus* cogn.; *rēligio, scala; finis, funis; divisi, divisio, casa, casum, esum; osor, futilis, refutare, abies, aries, paries, pes* cum prod. suppl.
— ” ” „ *rĕligio, relinquo* al., *miles, trames, hospes* al. sine prod. suppl.
l ” ” „ *vis* cum prod. suppl.
r ” ” „ *pedere, podex, peierare, unose* cum prod. suppl.
n ” ” „ *cohibere, cohortari* al.; *coiectura, coiicere, coiux; coventionid, covenumis, ilico* cum prod. suppl.
m ” ” „ *prelum; septeni, noveni* cum prod. suppl.
s ” ” „ compp. cum praepositione *dis; alea, qualum; pomerium, pomeridianus, semestris remus; aëneus, cena, fanum, penis, pone, pono, seni, senarius, venum* cum prod. suppl.

s elisum est in *corpulentus; Camena, Camillus; viden, satin* sine prod. suppl.

— abiectum est in *pater, Lar, par, sal, arbos, Ceres, pulvis* cum prod. suppl.

x elisum est in *ala, mala, palus, talus, tela, telum, subtilis, velum* cum prod. suppl.

c „ „ „ compp. cum praep. *ec* (*s*); *lama, limus, limen, limes, rima, rimor, temo; aranea, lana, deni, denarius, pinus, planus, quini, quinarius, vanus; setius, invitus, invitare* cum prod. suppl.

— „ „ „ *colina* sine prod. suppl.

g „ „ „ *exilis, moles; examen, contaminare, flamen, frumentum, iumentum, subtemen, umidus, umor; maior, aio, peior puleium; conivere, mavis, uva, uvere* cum prod. suppl.

— „ „ „ *stilus, molestus; stimulus; brevis, levis, nivis, reduvia* sine prod. suppl.

Summa eorum verborum, in quibus post consonam eiectam vel abiectam antecedens vocalis producitur, est haec: **108.**

Summa eorum, in quibus post eiectam consonam antecedens vocalis brevis mansit, est haec: **16.**

Apparet igitur, etsi numerus eorum vocabulorum ubi extrusa consona effecit productionem suppletoriam longe superat ea, ubi brevis mansit vocalis, libertatem quandam et varietatem cerni in his vocum commutationibus. Nullae enim regulae tanta inconstantia servantur quanta euphoniae.